SUMMA AUGUSTINIANA EX COLLECTIS, ORDINATIS, DISPUTATIS, ...

Digitized by Google

2. 3. 118

Digitized by Google

2 - 3 - 11/5
A

Digitized by Google

SUMMA AUGUSTINIANA

Ex collectis, ordinatis, diſputatis, explicatiſque ſententiis Theologicis

DIVI AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI.

P. LAURENTIO ALTICOTIO

Societatis Jesu Presbytero Interprete.

PARS PRIMA

De Gratia Dei, & Libertate Hominis

DEO OPTIMO MAXIMO.

Primitiæ Domini ſunt: Num. c. 31. v. 29.



ROMÆ, Typis Antonii de Rubeis in via Seminarii Romani. 1744.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCUS RETZ

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUm primam partem libri a P. Laurentio Alticotio Societatis noſtræ Sacerdote conſcripti, cui titulus *Summa Auguſtiniana*, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 10. Januarii 1742.

Franciſcus Retz.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo P. Mag. Sacri Palatii Apoſtolici.

Ferdinandus M. de Rubeis Archiep. Tarſen. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Mag.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

RAtio, quæ mihi faces quodammodo admovit, Amice Lector, ad conſcribendam hanc ex Divi Aurelii Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi Theologicis Sententiis contextam Auguſtinianam Summam ea fuit, quam animo diù meditatam atque involutam, nunc primùm literis conſignatam explicatamque depromo. Tacitus apud me reputabam cum ſummam illam & ſingularem, quam apud omnes omnium ætatum ſapientes exiſtimationem Doctor præclariſſimus, ac de Chriſti Domini Eccleſiâ optimè meritus Auguſtinus eſt conſecutus, tum impudentiſſimam Hæreticorum audaciam, quâ perpetuum hæreſum hoſtem atque everſorem, pravarum opinionum magiſtrum, atque inſani agminis ducem ſibi deligunt atque conſtituunt. Quod enim ſpectat ad ſempiternam illam immortalis nominis celebritatem, quam Auguſtinus per ſuperiores elapſas ætates apud Viros ſapientiſſi-

tiſſi-

Digitized by Google

tiſſimos eſt adeptus: Teſtis eſt Divus Hieronymus; qui Epiſtola ad Auguſtinum inter Auguſtinianas 195. tom. 2. *Macte*, inquit, *virtute*: *In orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rurſum fidei venerantur atque ſuſpiciunt, & quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes Hæretici deteſtantur*. Teſtis eſt D. Paulinus Nolanus Epiſcopus, qui epiſtola ad Auguſtinum inter Auguſtinianas 25. tom. 2. in has Auguguſtini laudes erumpit: *O verè ſal terræ, quo præcordia noſtra, ne poſſint ſæculi vaneſcere errore, condiuntur! O lucerna dignè ſupra candelabrum Eccleſiæ poſita, quæ latè Catholicis urbibus de ſeptiformi lychno paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas licet Hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis a confuſione tenebrarum ſplendore clarifici ſermonis enubilas!* Teſtis eſt Severus Milevitanus, qui Epiſtola ad Auguſtinum inter Auguſtinianas 109. tom. 2. Sic Sanctum Doctorem exornat: *O verè Artificioſa Apis Dei, conſtruens favos divini nectaris plenos, manantes miſericordiam, & veritatem*. Teſtis Cæleſtinus Papa, qui epiſtolâ primâ ad Galliæ Epiſcopos apud Concilia Regiæ Editionis Pariſinæ tom. 4. Divi Auguſtini doctrinam his perhonorificis verbis approbat atque commendat: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum prò vitâ ſuâ atque meritis, in noſtrâ communione ſemper habuimus, neque unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor adſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter magiſtros optimos etiam ante a meis deceſſoribus haberetur*.

Teſtis eſt S. Proſper, qui epiſtola ad Auguſti-

num

Digitized by Google

num inter Auguſtinianas 225. tom. 2. his ampliſſimis titulis Doctorem optimum alloquitur : *Excubante pro univerſis membris corporis Chriſti vigilantiſſimâ induſtriâ tuâ, & adverſus hæreticarum doctrinarum inſidias veritatis virtute pugnante ..... reum futurum eſſe me crederem, ſi ea, quæ valdè pernicioſa eſſe intelligo, ad ſpecialem Patronum fidei non referrem.* Teſtis eſt S. Hilarius, qui Epiſtolâ ad Amatum Diaconum his expreſſam coloribus Divi Auguſtini imaginem poſteritati reliquit : *Excellentiſſimus Auguſtinus, Defenſor fidei noſtræ, in divinà meditatione ſemper aſſiduus deſtruxit ſacrilegos, atque ſuperavit Hæreticos*. Teſtis Poſſidius Calamenſis Epiſcopus ſtudioſiſſimus Magiſtri ſui Auguſtini auditor, a cujus latere nunquam diſceſſit, qui in illius vitâ a ſe conſcriptâ cap. 7. hæc de laboribus Auguſtinianis refert atque recenſet: *Tanta autem ab eo dictata & edita ſunt, tantaque in Eccleſiâ diſputata, excepta, atque emendata, vel adverſus diverſos Hæreticos conſcripta, vel ex canonicis libris expoſita ad ædificationem ſanctorum Eccleſiæ filiorum, ut ea vix quiſquam ſtudioſorum noſſe & perlegere ſufficiat*. Teſtis eſt S. Gregorius Magnus, qui ex regiſtro lib. 8. Epiſt. 37. Studioſos ſapientiæ Alumnos ad unum magiſtrum præſtantiſſimum Auguſtinum his verbis adducit : *Si delicioſo cupitis pabulo ſaginari, Beati Auguſtini opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum furfurem ne quæratis*. Teſtis Caſſiodorus, qui in Prologo ſuper Pſalterium, his præclariſſimis verbis totum Auguſtinum complectitur atque profert in lucem:

Digitized by Google

lucem : *Eſt litterarum omnium egregius Magiſter*, & *quod in ubertate rarum eſt, cautiſſimus diſputator. Decurrit quippè tanquam fons puriſſimus nulla fæce pollutus, ſed in integritate fidei perſeverans, neſcit Hæreticis locum dare, undè ſeſe poſſint aliqua colluctatione defendere, totus Catbolicus, totus Orthodoxus invenitur, & in Eccleſia Domini ſuaviſſimo nitore reſplendens, ſuperni luminis claritate radiat.* Teſtis eſt Venerabilis Beda lib. de ſex ætatibus Mundi, a quo celeberrimus Doctor hoc præclariſſimo titulo inſignitur : *Beatus Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus*, & *omnium Doctor eximius Eccleſiarum*. Teſtis eſt Antiſidorenſis Remigius, qui in commentario ſuper epiſt. ad Cor. 2. hac appoſitâ comparatione Auguſtini ſapientiam illuſtrat : *Sicut Sol in lumine excedit omnes Planetas, ſic Auguſtinus omnes exceſſit in exponendo ſacras Scripturas*. Teſtis eſt Sanctus Bernardus Abbas Claravallenſis, qui ſerm. 80. ſuper Cantica eximiam hanc laudem Auguſtino concedit: *Auguſtinus eſt validiſſimus malleus Hæreticorum*. Teſtis eſt Rupertus Abbas, qui l. 7. de Operibus Spiritûs Sancti cap. 19. hanc uberem laudum copiam in Auguſtinum effundit: *In Auguſtino Spiritus manifeſtè operatus eſt, quod ſe dignum fuit ad laudem ſuam, ad Eccleſiæ ſuæ defenſionem, Catbolicæ Fidei perpetuamque munitionem. Iſte eſt Auguſtinus columna* & *firmamentum veritatis*, & *verè columna nubis, in qua thronum ſuum poſuit Sapientia Dei*. Poſtremò, ut omittam Synodum Valentinam, Arauxicanam, aliaque ſexcenta, eaque perhonorifica de S. Auguſtino

ſtino teſtimonia, teſtis eſt Oecumenica Synodus Florentina, quæ ſeſs. 7. hoc de S. Auguſtino ampliſſimum teſtimonium poſteritati mandavit: *Auguſtinum illuſtriſſimum Latinorum Doctorem quinta Synodus conſecravit*.

Quæ cum ita ſint, quiſnam in animum induceret ſuum, ut crederet, Auguſtinum tot teſtibus locupletiſſimis, profligatorem hæreſum, & hæreticorum domitorem appellatum, ab hæreticis noſtræ ætatis ſuorum errorum aſſertorem, ac vindicem prædicari? Se incorruptos atque ſinceros Auguſtini Diſcipulos, Alumnos, Sectatores eſſe pronuntiant. Unum ſe Auguſtinum ſapere, audire, tueri: Ne latum quidem unguem ſe ab Auguſtino diſcedere: Unam eamdemque eſſe cum Auguſtiniana, Lutheranam, Calvinianam, Janſenianam cauſſam atque rationem; nec fieri poſſe, ut Pontificià cenſurà Lutheri, Calvini, Janſenii doctrina proſcribatur, quin totum Auguſtinianum Syſtema everti funditùs, ac peſſum ire conquerantur. Lutherus de ſervo arbitrio: *Totus*, inquit, *meus eſt Auguſtinus*. Calvinus verò lib. de Prædeſt. *Auguſtinus adeo totus noſter eſt, ut ſi mihi confeſſio facienda ſit, ex ejus ſcriptis contextam proferre abundè mihi ſufficiat*: Et lib. 3. Inſtit. cap. 3. *Non opus eſt*, inquit, *inveſtigando laborare, quid veteres ſenſerint, quando unus Auguſtinus ſufficere ad id poteſt, qui fideliter, magna cum diligentia omnium ſententias collegit. Ex illo igitur ſumant Lectores, ſi quid de ſenſu antiquitatis habere certi voluerint*. Philippus Melancthon in

declamatione de S. Auguſtino ſic inſanus atque effrenatus exultat: *In hac ſchola Wittembergenſi præcipue gratam Auguſtini mentionem eſſe decet, in quà Auguſtinus quaſi renatus eſt, & ejus doctrina, quæ jacuit obruta denſiſſimis tenebris, non ſolum reſtituta eſt, ſed etiam lumen accepit, quæ cum ſit neceſſaria Eccleſiæ, merito Auguſtinum amare debemus, qui cœleſtem illum theſaurum præcipue conſervavit*. Janſenius, ut apud Compilatorem Vitæ atque Editorem Operum refertur: *Patres ceteros utiles eſſe, ſed Auguſtinum neceſſarium, imo unum pro omni materia Theologica ſufficere ajebat, cui ullum ceterorum Patrum negabat fuiſſe parem*.

Sic ſinguli noſtræ, ac ſuperioris ætatis hæretici in ſuas quiſque partes Auguſtinum rapere ſatagunt atque contendunt. Ratio autem, cur ad unum Auguſtinum præ ceteris Patribus ſeſe adjunxerint, ea eſt percelebris controverſia, quam contra Pelagianos S. Doctor dirimendam ſuſcepit. Pluſquam par eſt Pelagiani in perniciem Divinæ Gratiæ libertati hominis tribuebant. Magnifica enim de libertate humana, parca & jejuna de Divina Gratia prædicabant. Libertatem tanquam Dominam præeuntem; gratiam veluti ſubſequentem pediſſequam pronunciabant: libertatem fœcundam matrem; gratiam nutricem ſterilem ſupernæ ſobolis affirmabant: libertatem omnino immunem tum a ſervitute vitiatæ originis, tum a ſervilibus notis mortalitatis, ignorantiæ, concupiſcentiæ; gratiam adjutricem tantum ab ipſa origine ingenuæ ac liberalis dominæ, here-

dita-

Digitized by Google

ditario jure beandæ affirmabant . Quamobrem bellum Pelagianis indixit Auguſtinus , quibuſcum conflixit acerrimè pro gratia Chriſtiana adverſus libertatem Pelagianam. Cum autem conſtans atque perpetuus Auguſtini mos fuerit adverſus ſubdolos atque verſipelles hæreticos diſputantis , omnia prorſus illis conſtanter negare , quæ vel tenuiſſimam erroris umbram ſub ſpecie veri occultarent , & ea dumtaxat illis concedere , quæ abſque ulla prorſus ambage eſſent omnino certa , illuſtria , perſpicua , explorata , & , ut dici aſſolet , ipsà meridianà luce clariora; hinc factum eſt , ut ea , quæ S. Doctor diſputavit pro gratia Chriſtiana adverſus libertatem Pelagianam, ſectatoribus Janſenii pronuntiata videantur pro gratià Janſenianà adverſus libertatem Chriſtianam . Quemadmodum enim Pelagiani nimis tribuebant libertati in perniciem gratiæ ; ita Janſeniani è contrariò nimis concedunt gratiæ in libertatis detrimentum; ac proinde incidunt in Calvinianam Scyllam , dum vitare nituntur Pelagianam Charybdim , qui ceteroquin medio mari tutiſſimo , inter extremos vortices atque ſcopulos , Petri Navicula vecti , ſi vellent , feliciſſimè navigarent . His ego permotus rationibus in animum induxi meum , Auguſtiniana arma ab hoſtium manibus extorquere , ac jure belli erepta , in adverſarios ipſos convertere . Quid enim fingi poteſt iniquius , quam gladios ab Auguſtino expeditos ad conficiendos Pelagianos , ſubripi a Janſenianis ad jugulandos Catholicos , & clypeum ab Auguſtino conflatum ad propulſanda tela Pelagiana,

 obji-

objici a Janſenianis ad eludenda jacula Vaticana?

Quod autem ad ſcribendi rationem pertinet, eà uſus ſum methodo, quam in aurea ſua ſumma Theologica Angelicus Doctor adhibuit, ut exemplo tanti Doctoris, quem honore præcipuo colere me profiteor, perſpicuitati ſimul ac brevitati conſulerem. Eà vero operum D. Auguſtini impreſſione præ ceteris uſus ſum, quæ fuit recuſa Antwerpiæ ſumptibus Societatis Anno MDCC. a prima editione Pariſina opera & ſtudio Monachorum S. Benedicti, è Sancti Mauri Congregatione, cujus ſinceritas ab adverſariis in dubium minime revocatur, & apud plures Sanctorum Patrum cultores eſt multo majoris præ ceteris editionibus auctoritatis & ponderis. Præterea, ut ſuſpicionem omnem de dolo malo ab animo abſtergam tuo, Lector Amice, ſcito me ad cujuſque articuli calcem mutuò colligatas atque connexas Auguſtinianas ſententias veritati faventes eo conſilio contextas atque conſutas adjeciſſe, ut perpetuam atque conſtantem Auguſtini doctrinam legentium oculis exhiberem, & genuinam atque germanam S. Doctoris mentem circa quæſtiones propoſitas ſub unico veluti adſpectu patefacerem; id autem fieri non potuit, quin paucula Auguſtini verba quandoque aliter inflecterentur, vel inter priorem poſterioremque ſententiam verbula quædam mea inſtar glutinis identitem interciperentur. Verum enim vero cum Auguſtini loca, e quibus ſunt decerptæ ſententiæ ſub ſuis quæque literulis in extremo calce fideliter indicaverim, eædemque ſententiæ nudæ, ut

jacent

Digitized by Google

jacent apud S. Doctorem jam fuerint in ſuperioris corpore articuli recitatæ, nullum imminet erroris periculum, nulla ſupereſt malæ fidei ſuſpicio.

Poſtremò, quod te etiam atque etiam monitum volo, ne tibi veniat in mentem, Amice Lector, me in hoc opere meo vel carpere, vel refellere opiniones illas Theologicas, quæ nulla Eccleſiaſtica Cenſura notatæ in Catholicis Lyceis, ſalvo & incolumi Catholico dogmate, in contrarias partes probabiliter diſputantur; ſiquidem mihi res eſt cum hæreticis non cum Catholicis. Fateor tamen nonnulla in hoc opere contineri, quæ ad fidei dogmata minime pertinent, nec inficias iverim, me quandoque placita quædam atque ſententias de Lyceo Societatis meæ depromere ad falſas hæreticorum opiniones convellendas; ſed dabis mihi profecto veniam, niſi cenſor nimis acerbus fueris, vel contentioſus. Rem dogmaticam pertractarunt Turrecremata, Bellarminus, Petavius, præcipua facultatis dogmaticæ lumina, aliique quamplures; ſed quam multa in eorum libris continentur à Catholici dogmatis Choro ſegregata ac ſejuncta? Verum quia omnes honeſtæ diſciplinæ mutuo ſeſe complexu fulciunt atque ſubſtentant, fieri non poteſt, ut una facultas pro dignitate tractetur, quin facultatum aliarum veluti comitum ſatellitium accedat. Quod ſi in ceteris omnibus liberalibus diſciplinis uſuvenit, multo magis in Theologicis facultatibus id contingere neceſſe eſt, propter intimam illam unius facultatis divinæ cum altera neceſſitudinem, cognationem, affinitatem, quin etiam,

etiam, ut ita dicam, conſanguinitatem. Quæ autem in dogmatico opere ad dogma Catholicum pertineant, quæ non pertineant, facile internoſcere quiſque poterit, ſi ad Pontificias, atque Eccleſiaſticas definitiones animum ſedulò adverterit, remque definitam a non definita, re & cogitatione ſejunxerit. Quamobrem ea quæ in hoc opere meo nulla cenſura Eccleſiaſtica ſunt notata, pro non dogmaticis ſunt accipienda; quæ autem jure Pontificio vel Eccleſiaſtico proſcripta ſunt, pro dogmaticis habeantur. Quod autem pertinet ad verborum, ac ſententiarum uſum, quæ in Societatis Jeſu Lyceis perſonant, nemo mihi vitio verterit, quod Noſtratûm verbis atque ſententiis, quamvis ſobriè ſatis & parcè, quæque quandoque ſunt voces ipſiſſimæ Divi Auguſtini, ut *VOCATIO PRÆVISA CONGRUA*, liberè utar. Unuſquiſque enim cum hoſte confligit iis armis, quibus pertractandis a prima adoleſcentia fuit aſſuetus: dummodo non ſint arma interdicta ad decipiendum potius, quam ad pugnandum conflata, non ſicæ quædam breviores, non breviores fiſtulæ ignivomæ, armorum delectus ad æquitatem belli minimè pertinet. At, inquies, ad conficiendos Religionis Catholicæ hoſtes ſunt etiam apta & idonea arma illa, quæ in aliis aſſervantur armamentariis. Eſto, fateor, aſſentior: At ego meis domeſticis ac familiaribus, non exteris & peregrinis, optimis licet, pertractandis armis ſum aſſuetus. David caſſide, lorica, & clypeo protectus, gladio & haſta inſtructus, ad ineundum ſingulare certamen cum Philiſtæo monſtro ſeſe ineptum

exper-

Digitized by Google

expertus, arma inſueta, quamvis optima abjecit: *Non poſſum* (inquiens Reg. 1. c. 17.) *ſic incedere, quia non uſum habeo*, atque è veſtigio uſitatum lapidem, familiaremque ſundam arripuit. Non gladio & haſta, ſed ſunda & lapide, ideſt: In nomine Domini, ut ipſemet inquit, Philiſthæum Orthodoxi populi hoſtem invaſit, percuſſit, proſtravit. Nec mirum. Ab ineunte ætate non dirigendæ haſtæ, non rotando gladio; ſed circumducendæ ſundæ, & excutiendo lapidi totus indulſerat.

Ceterum non eo conſilio ac voluntate ad interpretandum Auguſtinum me contuli, ut in meam ſententiam S. Doctorem pertraherem, ejuſdemque placitis Gymnaſii mei opiniones tuerer ac confirmarem; Quinimo, ut verum fatear, ab omni Lycei mei opinione vacuus ac integer, nullique parti addictus, nulli magiſtro devotus, Auguſtinum adivi, quo facilius ab omni præjudicata ſententia vacuus, & purus S. Doctoris mentem aſſequerer: Id quod omnibus eſt enitendum, qui ad ſacros Scriptores interpretandos accedunt. Quemadmodum enim ii, qui coloratis perſpiciliis utuntur, eodem colore obducta vident objecta, quo vitra fuerint imbuta, & rubra, flava, cærulea judicant ea eſſe quæ vident, ſi rubro, flavo, cæruleo infecta colore fuerint, quæ adhibent perſpicilia; ſic ii, quibus ab ineunte ætate imbuta mens fuerit Lycei ſui opinionibus, quas a Magiſtris propinatas plenius hauſerint, atque uberius ebiberint, quot in ſacris Scriptoribus apices vident, totidem decreta, atque ſententias pro ſuis opi-

opinionibus ſeſe obtinere jurejurando affirmant. Deponenda ſunt igitur colorata perſpicilia, & puris atque ſinceris Catholicæ mentis oculis eſt utendum, ut genuinam atque germanam veterum Patrum mentem, atque ſententiam aſſequamur. Sed jam factum ſit ſatis difficultatibus, quæ tibi, Lector Amice, hoc meum opuſculum decurrenti ſcrupulum aliquem poſſent objicere. Id unum ſupereſt, quod te moneam. Si quæ jejunè, incomptè, ſubobſcurè, inſipientèr in his paginis evolvendis pertractata repereris (quæ quam multa ſint non ignoro) mea eſſe cogniſcito: Si quæ autem copioſè, ornatè, dilucidè, ſapientèr diſputata tibi eſſe videantur (quæ quam pauca ſint ſentio) bonorum omnium Deo Largitori tribuito. Vale.

IN-

Digitized by Google

INDEX QUÆSTIONUM,

ET ARTICULORUM,

Quæ in prima parte continentur.

De Gratia Dei, & Libertate hominis.

PRIMA QUÆSTIO PRÆAMBULA

De actualis gratiæ prævenientis natura.

IN IV. ARTICULOS DISTRIBUTA.

ARTIC. I. *Utrum ex S. Auguſtino actualis gratia præveniens ad intellectum pertineat, & ſita ſit in piis animæ cognitionibus?* pag. 1.

ARTIC. II. *Utrum ex S. Auguſtino actualis gratia præveniens ad voluntatem pertineat, & ſita ſit in piis animæ affectibus?* pag. 3.

ARTIC. III. *Utrum ex S. Auguſtino actualis gratia præveniens ſita ſit in utriſque actibus animæ?* pag. 5.

ARTIC. IV. *Utrum ex S. Auguſtino actus hujuſmodi primo-prævenientes, tum qui ad intellectum, tum qui ad voluntatem pertinent, ſint actus animæ indeliberati?* pag. 7.

QUÆSTIO II.

De gratia naturæ innocentis.

IN IV. ARTICULOS DIVISA.

ARTIC. I. *Utrum ex S. Auguſtino gratia fuerit neceſſaria naturæ innocenti?* pag. 9.

ARTIC. II. *Utrum ex S. Auguſtino naturæ innocenti indebita fuerit gratia?* pag. 13.

ARTIC. III. *Utrum ex S. Auguſtino naturæ innocentis gratia, præter habitualem, fuerit etiam gratia actualis?* pag. 17.

ARTIC. IV. *Utrum ex S. Auguſtino donum integritatis fuerit in primo homine donum habitualis gratiæ?* pag. 20.

Digitized by Google

QUÆSTIO III.

De gratia ſufficiente.

IN VIII. ARTICULOS PARTITA.

ARTIC. I. *Utrum ex S. Auguſtino Deus ſincera voluntate velit omnium omnino hominum ſalutem.* pag. 23.

ARTIC. II. *Vtrum ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus pro omnibus omnino hominibus mortuus ſit, ſanguinem fuderit, & oraverit?* pag. 34.

ARTIC. III. *Vtrum ex S. Auguſtino omnia Dei præcepta ſint omnibus omnino hominibus aliquomodo poſſibilia?* pag. 46.

ARTIC. IV. *Vtrum ex S. Auguſtino præſto ſit omnibus gratia ſufficiens, quà Dei præcepta fiant omnibus aliquomodo poſſibilia?* pag. 52.

ARTIC. V. *Vtrum ex S. Auguſtino gratia ſufficiens detur omnibus hominibus ratione utentibus?* pag. 59.

ARTIC. VI. *Vtrum ex S. Auguſtino gratia ſufficiens detur omnibus infidelibus ratione utentibus?* pag. 77.

ARTIC. VII. *Vtrum ex S. Auguſtino, urgente præcepto, detur aliqua gratia ſufficiens peccatoribus excæcatis, & obduratis?* pag. 87.

ARTIC. VIII. *Vtrum ex S. Auguſtino parvulis omnibus Deus præparaverit ſufficientia media ad ſalutem?* pag. 101.

QUÆSTIO IV.

De gratia inefficaci.

IN II. ARTICULOS DISPERTITA.

ARTIC. I. *Utrum ex S. Auguſtino detur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui re ipſa reſiſtitur?* pag. 110.

ARTIC. II. *Vtrum ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax ſit in ſe utilis, & beneficium Dei?* pag. 124.

QUÆSTIO V.

De gratia efficaci.

IN IV. DIGESTA ARTICULOS.

ARTIC. I. *Utrum ex S. Auguſtino gratia Dei efficax ſit nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas?* pag. 132.

AR-

Digitized by Google

ARTIC. II. *Vtrum ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis ſit inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis?* pag. 153.
ARTIC. III. *Vtrum ex S. Auguſtino delectatio cœleſtis ſit nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas?* pag. 160.
ARTIC. IV. *Vtrum ex S. Auguſtino delectatio terrena ſit nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas?* pag. 170.

QUÆSTIO VI.

De gratia prædeſtinationis.

IN IV. ARTICULOS DIVISA.

ARTIC. I. *UTrum ex S. Auguſtino divina præſcientia rerum a noſtra libertate pendentium ſit inevitabilis earundem neceſſitas?* pag. 184.
ARTIC. II. *Vtrum ex S. Auguſtino divina voluntas rerum a libertate noſtra pendentium ſit inevitabilis earundem neceſſitas?* pag. 191.
ARTIC. III. *Vtrum ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad Gratiam ſit ex prævisis meritis naturalibus?* pag. 198.
ARTIC. IV. *Vtrum ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad Gloriam ſit ex prævisis meritis naturalibus?* pag. 208.

QUÆSTIO VII.

De libertate hominis.

IN VI. ARTICULOS DISTRIBUTA.

ARTIC. I. *UTrum ex S. Auguſtino in homine lapſo perſeveret eadem electiva libertas indifferentiæ, quæ fuerat in homine integro?* pag. 218.
ARTIC. II. *Vtrum ex S. Auguſtino homo lapſus voluntarios ſuos actus agat ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate?* pag. 231.
ARTIC. III. *Vtrum ex S. Auguſtino ad meritum & demeritum hominis lapſi ſit neceſſaria libertas immunis ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate?* pag. 241.
ARTIC. IV. *Vtrum ex S. Auguſtino* præceptum, conſilium, laus; reprehenſio, & vituperatio, *quibus ſubjacet homo lapſus,*

pſus, immunitatem in illo arguant ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate? pag. 250.

ARTIC. V. *Utrum apud S. Auguſtinum vocabula hæc* libertas, poteſtas, voluntas, *& his ſimilia, ſolam in homine lapſo immunitatem ſignificent a violentâ coactione?* pag. 258.

ARTIC. VI. *Utrum apud S. Auguſtinum vocabula hæc* impoſſibilitas, impotentia, coactio, neceſſitas, *& his ſimilia, inſuperabilem in homine lapſo ſignificent ad agendum, ſive impotentiam, ſive neceſſitatem?* pag. 270.

PRI-

Digitized by Google

PRIMA QUÆSTIO PRÆAMBULA

De Actualis Gratiæ Prævenientis natura.

IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Cum nobis propoſuerimus præclariſſimi Doctoris S. Auguſtini mentem patefacere circà gratiam, quam *Actualem* vocant, & *Tranſeuntem*, principio ſtatuendum eſt, quænam ex Sancto Doctore ſit illius natura; circà quod quærenda ſunt quatuor. I. Utrum ex S. Aug. Actualis Gratia præveniens ad intellectum pertineat, & ſita ſit in piis animæ cognitionibus? II. Utrum ex S. Aug. Actualis Gratia præveniens ad voluntatem pertineat, & ſita ſit in piis animæ affectibus? III. Utrum ex S. Aug. Actualis Gratia præveniens ſita ſit in utriſque actibus animæ? IV. Utrum ex S. Aug. actus hujuſmodi primo-prævenientes, tum qui ad intellectum, tum qui ad voluntatem pertinent, ſint actus animæ indeliberati?

ARTICULUS I.

Utrum ex S. Auguſtino Actualis Gratia præveniens ad intellectum pertineat, & ſita ſit in piis animæ cognitionibus?

Dicendum,quod ex S. Aug. Actualis Gratia præveniens ad intellectum pertinet, & ſita eſt in piis animæ cognitionibus. Huic autem definitioni ſubjectæ S. Doct. favent ſententiæ.

I. LIb. de Grat., & lib. arbitr. c. 7. n. 16. to. 10. hæc habet de gratia præveniente opera bona: *Iſta opera bona, ſi non ea præceſſiſſent cogitationes bonæ, nulla eſſent.*

II. L. de Don. Perſ. c. 8. n. 20. to. 10. hæc docet de gratia actuali fidem præveniente: *Qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem.*

III. L. 2. de Mor. Manich. c. 17. num. 55. to. 1. hæc habet de gratia mentem hominis illuſtrante: *Sive interioribus cogitationibus divinitùs illuſtratus.*

IV. L. 83. Quæſt. quæſt. 68. n. 5. to. 6. hæc de Pharaonis vocatione, adeoque de actuali gratia illum præveniente teſtatur: *Numquid ergo latebat Pharaonem quantum boni conſecutæ fuerint terræ illæ per adventum Joſeph? Illius ergo rei geſtæ cognitio, vocatio ejus fuit:*

V. Serm. 11. de Elia, & Vidua Sareptana n. 2. to. 5. hæc de interiori Dei locutione, quæ Dei gratia præveniens eſt: *Mandat Deus miris modis, qui in cogitationibus loquitur.*

VI. In Pſal. 102. n. 16. to. 4. hæc iterum de vocatione divina, quæ eſt actualis gratia præveniens: *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pænitentiam.... vocat per intimam cogitationem.*

VII. Ep. 217. ad Vital. n. 5. to. 2. hæc ſtatuit: *Si ergo ita præpararet, atque ita operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem ſuam, atque Doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa altâ atque ſecreta, ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem legi atque doctrinæ accomodaret aſſenſum, proculdubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare ſufficeret.*

VIII. L. 1. ad Simpl. qu. 2. n. 2. to. 6. hæc de ſecretis per viſa mentis aut ſpiritus admonitionibus, quæ gratia præveniens ſunt, ſita in piis cognitionibus animæ: *Aut vero Cornelius non credebat, cum Eleemoſynis, & Orationibus dignum ſe præberet, cui Angelus mitteretur; ſed nullo modo iſta operaretur, niſi ante credidiſſet, nullo modo autem credidiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis aut ſpiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur.*

IX. L. 3. de Conſ. Evang. c. 6. n. 26. to. 3. hæc de gratia præveniente Petrum ſub ratione cognitionis de antecedenti ſua negatione, & de Chriſti Domini prædictione: *Mihi videtur illa reſpectio divinitus facta, ut ei veniret in mentem quoties eum negaſſet, & quid ei Dominus prædixiſſet, atque ita miſericorditer Domino reſpiciente, pæniteret eum, & ſalubriter fleret*

Ergo

Ergo ex S. Auguſtino præcedentes cogitationes bonæ pariunt opera ſupernè bona: Fides conſequitur cogitationes pias divinitûs in mente humana excitatas: Divinæ illuſtrationes ſunt interiores cogitationes: Divinorum beneficiorum cognitio fuit Pharaonis vocatio: Deus per interiores cogitationes mentem humanam alloquitur: Præcedens intima cogitatio, ad correctionem & pœnitentiam vocatio eſt: Præparat Deus hominis voluntatem, cum vocatione alta & ſecreta mentem hominis agit: Secretæ quædam per viſa mentis, aut ſpiritus admonitiones divinæ Centurionem illum Cornelium ad concipiendam fidem præpararunt: Triplicis negationis, atque divinæ prædictionis excitata reminiſcentia Petrum ad pœnitentiam, & ſalutares lacrymas provocavit. Hæc autem S. Doctoris placita ſatis perſpicue demonſtrant, actualem gratiam prævenientem ad intellectum pertinere, atque eſſe in piis animæ cognitionibus conſtitutam.

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Auguſtino Actualis Gratia præveniens ad voluntatem pertineat, & ſita ſit in piis animæ affectibus?

Dicendum, quod ex S. Auguſtino actualis gratia præveniens ad voluntatem pertinet, & ſita eſt in piis animæ affectibus. Quod adhibitis S. Doctoris ſententiis ita conficitur.

I. LIb. de Spir. & Lit. c. 29. n. 51. to. 10. docet, prævenientem gratiam ſuavitatem eſſe, atque delectationem; ac proinde pium animæ affectum: *Inſpiratá gratiæ ſuavitate per Spiritum Sanctum, faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat, quod impedit.*

II. Lib. 1. contra Maxim. Epiſcop. Arrian. c. 9. to. 8. hæc habet de Spiritu Sancto: *Gemitibus ſanctorum deſideriorum interpellare ſanctos facit, quibus affectum pium gratiæ ſpiritalis infundit.*

III. L. 2. Contra eumdem Maxim. Arrian. Epiſcop. cap. 19. tom. 8.

Digitized by Google

tom. 8: docet prævenientem gratiam eſſe deſiderium ſanctum à Spiritu Sancto inſpiratum; adeoque pium animæ affectum: *Non ipſe gemit, ſed inſpirans nobis deſiderium ſanctum, nos facit gemere.*

IV. Serm. 42. de verb. Iſajæ cap. 3. to. 5. aſſerit Prævenientem gratiam eſſe cœleſtem delectationem a Deo datam; ac proinde pium animæ affectum: *Quomodo te à te liberat? Dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires pugnandi adverſus concupiſcentias tuas, inſpirando virtutem, dando menti tuæ cœleſtem delectationem, qua omnis terrena delectatio ſuperetur.*

V. Tract. 26. in Joannem n. 4. to. 3. decernit, quod Actualis gratia Fidem præveniens eſt voluptas trahens, voluptas & dulcedo cordis, voluptas animi, delectatio veritatis, juſtitiæ, beatitudinis, ſempiternæ vitæ, delectatio in Domino; adeoque pius animæ affectus: *Quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris: Quid eſt voluptate trahi? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis: Porro ſi Poetæ dicere licuit: Trahit ſua quemque voluptas; non neceſſitas, ſed voluptas; non obligatio, ſed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt? An vero habent corporis ſenſus voluptates ſuas, & animus deſeritur voluptatibus ſuis?*

VI. Tract. 26. in Joan. n. 7. to. 3. aſſerit, quod actualis gratia præveniens, eſt delectatio interioris doctrinæ cœleſtis; adeoque pius animæ affectus: *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me: Videte quomodo trahit Pater, docendo delectat, non neceſſitatem imponendo.*

VII. In Pſal. 57. n. 4. to. 4. eadem repetit per hæc verba: *Veniet gratia Dei, ut delectet te juſtitia, ſicut delectabat iniquitas.*

VIII. Serm. 99. cap. 6. n. 6. to. 5. Terrorem retrahentem ab adulterio, gratiam Dei eſſe aſſerit, qui recenſetur inter ani-

Digitized by Google

animæ affectus: *Adulter non fuiſti in illa tua vita præterita, plena ignorantia, nondum bonum malumque diſcernens, nondum credens in illum, qui te neſcientem regebat .... Affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: Ut non conſentires, ego terrui: Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes, & quod non admiſiſti:*

Ergo ex S. Auguſtino actualis gratia præveniens eſt pius animæ affectus ad ſancta deſideria alliciens; eſt deſiderium ſanctum provocans ad pios gemitus; eſt quædam ſuavitas Animæ præcepti afferens delectationem; voluptas & delectatio animi eſt, quæ ſuaviter ad fidem pertrahit; delectatio doctrinæ cœleſtis, delectatio juſtitiæ, cœleſtis animæ delectatio, qua omnis terrena delectatio vincatur; quandoque etiam eſt quidam animi terror a Deo immiſſus hominem ab ingruenti peccato retrahens. Hujuſmodi autem ſuperioris animi motus, affectus animæ ſunt, qui ad voluntatem pertinent; ac proinde ex S. Auguſtino actualis gratia præveniens ad voluntatem pertinet, & ſita eſt in piis animæ affectibus.

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Auguſtino Actualis gratia præveniens ſita ſit in utriſque Actibus Animæ?

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Actualis gratia præveniens ſita eſt in utriſque actibus animæ. Huic autem propoſitioni, mox producendæ S. D. ſententiæ ſic ſuffragantur.

I. Lib. 2. de Pecc. Merit., & remiſſ. c. 18. n. 32. to. 10. hæc habet: *Deum ſanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem.*

II. Lib. 2. de Pecc. merit., & remiſſ. cap. 19. n. 33. to. 10. hæc de utraque gratia definit: *Cum ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & ſuave faciat quod non delectabat?*

III. Serm. 17. in Pſalm. 118. num. 3. tom. 4. hæc iterum

Digitized by Google

rum differit de utraque gratia: *Docet Deus ſuavitatem, inſpirando delectationem... Docet ſcientiam, inſinuando cognitionem: Cum itaque alia ſint, quæ ideo diſcimus, ut tantummodo ſciamus: Alia vero ut etiam faciamus, quando Deus ea docet, ſic docet, ut ſcienda ſciamus aperiendo veritatem; ſic docet, ut facienda faciamus inſpirando ſuavitatem.*

IV. L. 2. de Peccat. merit., & rem. c. 17. n. 26. to. 10. Rurſus gratiam utramque ita deſcribit: *Nolunt homines facere, quod juſtum eſt, ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat... Ut autem innoteſcat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt.*

V. Serm. 8. in Pſal. 118. n. 5. to. 4. hæc tradit de gradibus & incrementis divinæ gratiæ, qui complectuntur, & pias animæ cognitiones, & pios animæ affectus: *Servus autem tuus exercebatur in juſtificationibus tuis: ſed quibus quaſi gradibus ad eas perveniatur, oſtendit: Prius eſt enim, ut videatur, quam ſint utiles, & honeſtæ; Deinde ut earum deſiderium concupiſcatur; Poſtremo, ut proficiente lumine, atque ſanitate delectet earum & operatio, quarum ſola ratio delectabat.*

Ergo ex S. Auguſtino Actualis gratia præveniens eſt exercendi operis juſti tum ſcientia, tum delectatio: Adjtuorium ad faciendam perficiendamque Juſtitiam eſt aperitio veri antea latentis; eſt delectatio boni antea non delectantis; eſt inſpirata ſuavitas & delectatio; eſt inſinuata ſcientia & cognitio; eſt veritatis aperitio; ſuavitatis eſt inſpiratio. Gratia Dei eſt cognitio, per quam innoteſcit quod latebat, affectus, per quem ſuave fit, quod non delectabat. His cœleſtis gratiæ gradibus ad exercenda juſta opera aſcenditur. Primus gradus eſt: Cognitio de juſtorum operum honeſtate & utilitate. Alter: Juſtorum operum cupiditas ac deſiderium. Tertius: Eorumdem voluptas ac delectatio; cum autem ex recenſitis actibus animæ priores ad intellectum, poſteriores ad voluntatem pertineant; concluditur quod ex S. Doctore Actualis gratia præveniens ſita eſt, in utriſque actibus animæ.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Utrum ex S. Auguſtino Actus hujuſmodi primo prævenientes, tum qui ad intellectum, tum qui ad voluntatem pertinent, ſint actus animæ indeliberati?

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Actus hujuſmodi primo prevenientes tum qui ad intellectum, tum qui ad voluntatem pertinent, ſunt actus animæ indeliberati; Quod ex ſubjectis S. D. teſtimoniis ſic obtinetur.

I. LIb. de Spir., & Lit. c. 34. n. 60. to. 10. agens de voluntate credendi, affirmat illam oriri ex gratuita viſione ſuaſiva prævia ad voluntatem credendi, quæ viſio in noſtra poteſtate non eſt; ac proinde eſt actus animæ indeliberatus. Audiatur S. Doctor: *Non ideo tantum iſtam voluntatem Divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt; verum etiam, quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecus per Evangelicas exhortationes... Sive intrinſecus, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem.*

II. L. 1. ad Simpl. qu. 2. n. 21. to. 6. eadem affirmat his verbis: *Quis poteſt credere, niſi aliqua vocatione, hoc eſt, aliqua rerum teſtificatione tangatur? Quis habet in poteſtate tali viſo attingi mentem ſuam, quo ejus voluntas moveatur ad fidem?*

III. Lib. 3. de Lib. Arb. c. 25. n. 74. to. 1. eadem, per verba ſimilia docet: *Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum. Quid autem quiſque vel ſumat vel reſpuat, eſt in poteſtate: Sed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt. Fatendum eſt, & ex ſuperioribus, & ex inferioribus viſis animum tangi.*

IV. L. 1. ad Simplic. qu. 2. n. 22. to. 6. iterum ſic eadem confirmat: *Voluntas ipſa, niſi aliquid occurrerit, quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo poteſt:*

Hoc

Digitized by Google

Hoc autem ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate.

V. L. 2. contra 2. Epiſt. Pelag. c. 9. n. 21. to. 10. hæc docet: *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; Nulla vero facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo.*

VI. Serm. 56. c. 5. n. 7. to. 5. in idem ſic recidit: *Quod fit a te, ipſe facit in te, numquam fit a te, quod non ipſe facit in te; ſed aliquando facit in te, quod non fit a te; nunquam autem aliquid fit a te, ſi non facit in te.*

VII. L. 1. ad Simpl. qu. 2. n. 10. to. 6. docet, quod cum piæ illuſtrationes, & affectiones ſint actus animæ indeliberati, & in poteſtate noſtra non ſint, ſolus Deus præſtat, ut per illas voluerimus, ideſt, poſſe benè agere, & ſemper beate vivere. *Aliter Deus præſtat, ut velimus; aliter præſtat, quod voluerimus, ut velimus enim, & ſuum eſſe voluit, & noſtrum, ſuum vocando, noſtrum ſequendo: quod autem voluerimus, ſolus præſtat, ideſt, poſſe bene agere, & ſemper beatè vivere.*

Ergo ex S. Auguſtino interiores viſorum ſuaſiones a Deo immiſſæ, prævenientes fidem & voluntatem credendi, ſunt quidem in Dei, non autem in hominis poteſtate; quia nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; nemo enim habet in poteſtate tali ſuperno viſo mentem ſuam attingi, quo ejus voluntas moveatur ad fidem; ſiquidem quo ſuperno viſo ad bonum alliciente voluntas noſtra tangatur, nulla poteſtas eſt. Nec eſt in hominis poteſtate, ut occurrat aliquid, quod delectet, & invitet animum, per quod voluntas moveri poſſit ad ſupernum amorem boni: Hinc illuſtratio mentis, boni cupiditas, benedictio dulcedinis animam prævenientes, de quibus S. Doctor l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. c. 9. quædam ſunt ex iis, quæ Deus facit in homine bona, quæ phyſicè quidem, ſed non moraliter facit homo, ex defectu electionis atque deliberationis, quam præveniunt, & antevertunt. Hac de cauſa ex Auguſtino: Deus dicitur aliquando facere in homine, quod non fit elective videlicet, & deliberatè ab homine; ſicuti propter prævenientem gratiam indeliberatam, ſolus Deus præſtat, ex S. Doctore, poſſe hominem bene agere, & ſemper beatè vivere; ac proinde ex S. Auguſtino actus hujuſmodi tum qui ad intelle-

Digitized by Google

ctum, tum qui ad voluntatem pertinent ſunt actus animæ indeliberati.

QUÆSTIO II.

De Gratia Naturæ Innocentis.

IN IV. ARTICULOS DISTRIBUTA.

De prævenientis gratiæ natura univerſim, & generatim conſideratæ S. Auguſtini mentem in ſuperiori quæſtione aperuimus; Nunc autem S. Doctoris inveſtiganda ſententia eſt de gratia naturæ innocentis. Acatholici enim, qui in diſputatione de gratia, pro ſtatu naturæ lapſæ, Calvino favent, in argumento de gratia naturæ innocentis, Pelagio conſentiunt. De gratia ergo naturæ innocentis ſive in Angelo, ſive in homine, quatuor ex S. Auguſtino ſunt diſcutienda. Primo. Utrum ex S. Auguſtino Gratia fuerit neceſſaria naturæ innocenti? Secundo. Utrum ex S. Auguſtino Naturæ innocenti indebita fuerit gratia? Tertio. Utrum ex S. Auguſtino Naturæ innocentis gratia, præter habitualem, fuerit etiam gratia actualis? Quarto. Utrum ex S. Auguſtino Donum integritatis in primo homine fuerit donum habitualis gratiæ?

ARTICULUS I.

Utrum ex S. Auguſtino: Gratia fuerit neceſſaria naturæ innocenti?

Videtur, quod ex S. Auguſtino gratia non fuerit neceſſaria naturæ innocenti. Siquidem

I. LIb. de Corr., & Grat. c. 10. n. 27. to. 10. de Sanctis Angelis in ſtatu juſtitiæ perſeverantibus dicitur: *Ceteri autem per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt.*

Digitized by Google

II. L. de Prædeſt. SS. c. 15. n. 31. to. 10. docet, quod merita Adami innocentis erant humana; ac proinde gratia illis neceſſaria non erat: *Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam, & regnet quæ regnat Dei gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Gratia fuerit neceſſaria naturæ innocenti; id autem ex appoſitis S. Doctoris ſententiis ita conficitur.

I. L. de Corr. & Grat. c. 11. n. 32. to. 10. docet, quod neque Angelus, neque homo ſine adjutorio divino perſeverare poterant in ſtatu innocentiæ; ac proinde utrique naturæ innocenti gratia ad perſeverandum fuit neceſſaria: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel Homini, cum primum facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuá culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*

II. In Enchir. c. 106. n. 28. to. 6. docet: Adamo innocenti gratiam Dei neceſſarium fuiſſe, & ad meritum comparandum, & ad retinendam juſtitiam: *Quamvis ſine gratia, nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet; quia etſi peccatum in ſolo libero arbitrio erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur. Homo in paradiſo ad ſe occidendum, relinquendo juſtitiam, idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur vita juſtitiæ, parum erat velle, niſi ille, qui eum fecerat, adjuvaret.*

III. In Enchir. cap. 107. n. 28. to. 6. Eadem confirmat his verbis: *Sic ergo factus eſt homo rectus, ut & manere in ea rectitudine poſſet, non ſine adjutorio divino, & ſuo fieri perverſus arbitrio.*

IV. Serm. 26. c. 2. n. 2. to. 5. ſtatuit, quod primus homo innocens ſine Deo, gratia ſua illum regente, ſtare omnino non poterat: *Creatus eſt primus homo in natura ſine culpa, in na-*

tura

Digitized by Google

tura ſine vitio. Creatus eſt rectus, non ſe fecit rectum. Quid ſe autem ipſe fecerit, notum eſt. Cadens a manu figuli fractus eſt; regebat enim eum ipſe, qui fecerat. Voluit deſerere a quo factus eſt. Permiſit Deus tamquam dicens: Deſerat me, & inveniat ſe, & miſeria ſua probet, quia nihil poteſt ſine me.

V. L. 2. de Gen. contra Manich. c. 15. n. 22. to. 1. agens de perſuaſione facta a diabolo primis parentibus hoc idem affirmat per hæc verba: *Quid hic intelligitur, niſi perſuaſum eſſe, ut ſub Deo eſſe nollent, ſed in ſua poteſtate potius ſine Domino, ut legem ejus non obſervarent, quaſi invidentis ſibi, ne ſe ipſi regerent, non indigentes illius interno lumine?*

VI. L. de Nat. & Grat. cap. 48. n. 56. to. 10. Pelagium redarguens aſſerit homini ſano & integro neceſſarium fuiſſe Dei adjutorium ad non peccandum, quemadmodum lumen eſt neceſſarium ſanis oculis ad videndum. Hæc enim habet: *Si de integra, & ſana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus, nec ſic rectè diceret: Quod non peccare noſtrum tantummodo ſit, quamvis peccare noſtrum eſſet; Nam & tunc eſſet adjutorium Dei, & tanquam lumen ſanis oculis, quo adjuti videant, ſe præberet volentibus.*

VII. L. 11. de Gen. ad Lit. cap. 4. n. 6. to. 3. definit, quod primus homo poterat non conſentire ſuadenti, ſed nonniſi adjuvante Deo gratiâ ſuâ, quæ proinde ad non conſentiendum diabolo fuerat prorſus neceſſaria: ſic enim habet: *Non mihi videtur magnæ laudis futurum fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet bene vivere, quia nemo male vivere ſuaderet, cum & in natura poſſe, & in poteſtate haberet velle non conſentire ſuadenti; Adjuvante tamen illo, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Ad primum ergo dicendum: Quod ex S. Auguſtino S. Angeli in veritate ſteterunt per liberum quidem arbitrium, ſed quod à Deo Conditore acceperunt, ornatum videlicet & adjutorio ſufficienti, quo poterant; & adjutorio neceſſario, ſine quo non poterant manere ſi vellent; ut dicitur eodem lib. de Corr., & Grat. c. 11. n. 32. to. 10.

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino merita Adami fue-

fuerunt merita humana, videlicet hominis ab humana origine juſti, in quo Deus ſimul & naturam condidit, & largitus eſt gratiam. Cum igitur gratia congenita fuerit ſimul cum homine, merita inde proficiſcentia dicuntur ab Auguſtino humana; non quod Adamo innocenti non fuerit ad merendum gratia neceſſaria; cum ex S. Aug. in Enchir. c. 106. n. 28. to. 6. *Sine gratia nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet*.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Si Divinum adjutorium vel Angelo vel homini, cum primum facti ſunt defuiſſet, non utique ſuâ culpa cecidiſſent; Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent*. (b) *Adam enim ſine Dei gratia ſalutem quam accepit, cuſtodire non poterat*. (c) *Siquidem retinendæ juſtitiæ non ſibi ſufficiebat liberum Adami arbitrium, niſi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur: Quinimmo nec ullum meritum eſſe tunc potuiſſet ſine gratia*. (d) *Sic enim factus fuit primus homo rectus, ut manere quidem in ea rectitudine poſſet, non tamen ſine adjutorio divino*. (e) *Habebat quidem & in natura poſſe, & in poteſtate velle non conſentire ſuadenti: Adjuvante tamen illo, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. (f) *Perſuaſum illi fuit, ut ſub Deo eſſe nollet, ſed in ſua poteſtate potius ſine Domino, ut legem ejus non obſervaret, quaſi invidentis ſibi, ne ſe ipſe regeret, non indigens illius interno lumine*: (g) *Tunc cadens a manu figuli fractus eſt; regebat enim eum ipſe, qui fecerat. Voluit deſerere a quo factus eſt. Permiſit Deus tanquam dicens: Deſerat me & inveniat ſe, & miſeriâ ſuâ probet, quia nihil poteſt ſine me*: (h) *Licet enim integra, & ſana hominis natura tunc eſſet, adhuc tamen adjutorium Dei & tunc neceſſarium erat, tanquam lumen ſanis oculis, quo adjuti videant*: Hactenus ex S. Auguſtino.

AR-

(*a*) L. de Corr., & Grat. c. 11. n. 32. to. 10. (*b*) Ad Paulin. Epiſt. 186. c. 11. n. 37. to. 2. (*c*) in Enchir. c. 106. n. 28. to. 6. (*d*) in Enchir. c. 107. n. 28. to. 6. (*e*) L. 11. de Geneſ. ad Lit. c. 4. n. 6. to. 3. (*f*) L. 2. de Geneſ. contr. Manich.

Digitized by Google

c. 15. n. 22. to. 1. (*g*) Serm. 26. c. 2. n. 2. to. 5. (*h*) L. de Nat., & Grat. cap. 48. n. 56. to. 10.

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Auguſtino Naturæ Innocenti indebita fuerit Gratia?

Videtur, quod ex S. Auguſtino gratia non fuerit indebita naturæ innocenti. Siquidem

I. LIb. de Corr. & Grat. cap. 11. n. 32. to. 10. hæc habet de æterna felicitate naturæ innocenti præparata: *Futura erat homini, ſicut facta eſt & Angelis Sanctis merces meriti; Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

II. L. 12. de Civ. Dei c. 1. n. 3. to. 7. *Cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id oſtenditur, quod ad naturam oculorum pertinet viſus. Et cum vitium aurium dicitur ſurditas, ad earum naturam pertinere demonſtratur auditus. Ita cum vitium creaturæ Angelicæ dicitur, quod non adhæret Deo, hinc apertiſſimè declaratur, ejus naturæ, ut Deo adhæreat, convenire.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Gratia fuerit indebita naturæ innocenti; ſubjecta enim S. Doctoris teſtimonia, quod fuit propoſitum ſic demonſtrant.

I. L. 13. Confeſſ. c. 3. n. 4. to. 1. docet, quod natura Angelica, ſicut non promeruit vitam quæ poſſet illuminari, ita non promeruit lucem qua fuit illuminata; adeoque & vitam, & beatam vitam, & Dei adhæſionem habuit ex gratia Dei ſibi indebita. Audiatur S. Doctor: *Quod autem in primis conditionibus dixiſti: Fiat lux, & facta eſt lux, non incongruenter hoc intelligo in creatura ſpiritali; quia jam erat qualiſcum-*

que

Digitized by Google

que vita, quam illuminares; ſed ſicut non te promeruerat, ut eſſet talis vita, quæ illuminari poſſet, ſic nec cum jam eſſet, promeruit te, ut illuminaretur; ut & quodcumque vivit, & quod beate vivit, non deberet niſi gratiæ tuæ, converſa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius mutari poteſt.

II. In Pſal. 70. ſerm. 2. n. 5. to. 4. affirmat, Sanctos Angelos Deo, non ſibi debere naturam, vitam, juſtitiam, beatitatem; ac proinde gratiam, quam acceperunt, fuiſſe illis indebitam: *In altis cœli ſunt, in altis Angeli ſunt, Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates. Tibi debent quod ſunt, tibi debent quod vivunt, tibi debent quod juſtè vivunt, tibi debent quod beatè vivunt.*

III. L. 12. de Civ. Dei cap. 9. n. 2. to. 7. definit: Deum ſimul cum natura gratiam Angelis largitum eſſe, neque ad ſolos homines, ſed etiam ad Sanctos Angelos pertinere, quod caritas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis. Gratia autem & caritas diffuſa in cordibus noſtris, ea ratione qua gratia eſt, eadem ratione eſt indebita: quod eſt axioma dogmaticum apud S. Doctorem frequentiſſimum. Hinc L. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 19. n. 37. to. 10. inquit: *Si reddatur debita gratia, non donetur indebita; gratia jam non eſt gratia*: Sed jam audiatur S. Doctor loco ſupracitato ſic de Angelis a Deo conditis differens: *Quis fecerat niſi ille, qui eos cum bona voluntate, ideſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit; ſimul eis condens naturam, & largiens gratiam... Iſti autem qui cum boni creati eſſent, tamen mali ſunt..... aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perſtiterunt; aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis malâ voluntate cadentibus, illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe numquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt... Confitendum eſt igitur cum debita laude Creatoris, non ad ſolos ſanctos homines pertinere, verum etiam de Sanctis Angelis poſſe dici, quod caritas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum ſanctum, qui datus eſt eis.*

IV. L. de Corr. & Grat. cap. 11. n. 31. to. 10. accuratè pertra-

tractans diſcrimen inter gratiam hominis innocentis, & gratiam hominis lapſi, nullatenus in eo illud conſtituit, quod gratia hominis innocentis fuerit illi debita, gratia autem hominis lapſi, ipſi fuerit indebita; quinimo, dum gratiam hominis innocentis & gratiam nominat, & magnam gratiam, illi fuiſſe indebitam tacitè affirmat. Totum ergo diſcrimen utriuſque gratiæ in eo conſtituit, quod gratia hominis innocentis fuerit gratia pacis & ſanitatis; gratia autem hominis lapſi ſit gratia medicinalis & pugnæ, quod palam fiet legenti. Sic ergo habet: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Immo vero habuit magnam, ſed diſparem &c.*

V. Epiſt. 186. ad Paul. cap. 11. n. 37. to. 2. tuetur quod ea gratia, quæ eſt neceſſaria naturæ corruptæ ad reparandam ſalutem perditam, erat neceſſaria naturæ integræ, ad conſervandam ſalutem acceptam. Cum autem gratia, quæ eſt neceſſaria naturæ corruptæ ad reparandam ſalutem perditam, ſit gratia indebita naturæ corruptæ; conſequens eſt, ut gratia quæ erat neceſſaria naturæ integræ ad conſervandam ſalutem acceptam, fuerit gratia indebita naturæ integræ: *Natura enim humana, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt permaneret, nullo modo ſe ipſam Creatore ſuo non adjuvante ſervaret Cum igitur ſine Dei gratia ſalutem non poſſet cuſtodire quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poteſt reparare quam perdidit?*

VI. L. de Corr., & Grat. cap. 11. n. 31. to. 10. Adjutorium Adæ collatum iterum appellat Dei gratiam; ac proinde donum ipſi indebitum: *Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio.*

VII. L. 14. de Civ. Dei cap. 27. to. 7. divina adjutoria Adamo divinitus ſubminiſtrata, ipſi neceſſaria & ad recte vivendum, & ad habendam fiduciam de Divino Adjutorio, gratiæ Divinæ beneficia nominat; adeoque Dei dona indebita Adamo: *Sic erat inſtitutus, ut ſi de adjutorio Dei ſideret bonus homo, malum Angelum vinceret; ſi autem Creatorem, atque Adjutorem Deum ſuperbè ſibi placendo defereret, vinceretur: Meritum bonum habens in adjutâ divinitus voluntate rectâ,*

ma-

Digitized by Google

malum vero, in deſerente Deum voluntate perverſa, quia & ipſum fidere de adjutorio Dei, non quidem poſſet ſine adjutorio Dei. Nec tamen ideo ab his divinæ gratiæ beneficiis, ſibi placendo, recedere non habebat in poteſtate.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Doctore: Beatitudo æterna futura erat homini innocenti merces meriti, quæ in homine lapſo eſt donum gratiæ; quia in homine lapſo maximum præcedit demeritum ad æternam beatitudinem. In homine autem innocente nullum omnino præceſſerat ad eamdem demeritum; adeoque beatitudo multo majus donum gratiæ eſt in homine lapſo, quam fuiſſet in homine innocente; ſicuti multo minus eſt meritum hominis lapſi quam hominis innocentis, propter maximum demeritum gratiæ in homine lapſo, quod nullum erat in homine innocente. Loquitur ergo S. Doctor in ſenſu comparativo. Ceterum in ſenſu abſoluto, etiam in homine innocente æterna beatitudo fuiſſet donum gratiæ, quia fuiſſet ex merito emanante ex gratia ſibi indebita, ut dicitur l. 14. de Civ. Dei cap. 27. to. 7. *Meritum bonum habens in adjutá divinitus voluntate recta beneficiis divinæ gratiæ.*

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Doctore: Adhærere Deo adhæſione ſuperna, convenit naturæ Angelicæ non ſibi relictæ, ſed quatenus elevatæ per gratiam ſibi indebitam, ut aſſeritur l. 13. Conf. c. 3. n. 4. to. 1. *Quod converſa ad Bonum incommutabile beate vivit, non debet niſi gratiæ tuæ.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Creatura ſpiritalis ſicut non Deum promeruerat, ut eſſet talis vita quæ illuminari poſſet; ſic nec cum jam eſſet promeruit Deum, ut illuminaretur: Ut & quodcumque vivit, & quod converſa ad Bonum incommutabile beatè vivit, non debeat niſi gratiæ Dei.* (b) *Deo igitur Sancti Angeli debent quod ſunt; Deo debent quod vivunt; Deo debent quod juſtè vivunt; Deo debent quod beate vivunt.* (c) *Siquidem cum amore caſto quo illi adhærerent eos creavit, ſimul eis condens naturam, & largiens gratiam; adeoque non ad ſolos ſanctos homines pertine-*

tinere; verum etiam de ſanctis Angelis dici poſſe, quod caritas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt eis. (d) *Adam etiam in ſtatu innocentiæ habuit Dei gratiam, & magnam gratiam, ſed noſtræ diſparem in eo dumtaxat, quod in illo fuerit ſanitatis & pacis, in nobis eſt medicinalis & pugnæ;* (e) *ſiquidem ſine Dei gratia ſalutem non poterat cuſtodire, quam accepit; ſicuti ſine Dei gratia non poterat reparare, quam perdidit.* (f) *Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia* (g) *Ut meritum bonum haberet in adjuta Divinitùs voluntate recta, his divinæ gratiæ beneficiis* (h) *Gratia autem ſi reddatur debita, non donetur indebita, gratia jam non eſt gratia.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. 13. Conf. c. 3. n. 4. tom. 1. (*b*) In Pſal. 70. Serm. 2. n. 5. to. 4. (*c*) L. 12. de Civ. Dei c. 9. n. 2. to. 7. (*d*) L. de Corr., & Grat. c. 11. n. 31. to. 10. (*e*) Epiſt. 186. ad Paulin. c. 11. n. 37. to. 2. (*f*) L. de Corr. & gr. c. 11. n. 31. to. 10. (*g*) L. 14. de Civ. Dei cap. 27. to. 7. (*h*) L. 1. contra duas Epiſt. Pelag. c. 19. n. 37. to. 10.

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Auguſtino Naturæ Innocentis gratia, præter habitualem, fuerit etiam gratia actualis?

Dicendum quod ex S. Auguſtino Naturæ Innocentis gratia, præter habitualem, fuit etiam gratia actualis. Siquidem

I. TRact. 3. in Joan. num. 7. to. 3. docet, quod Lucifer a Dei filio illuminante omnes, qui illuminari poſſunt, illuminatus lucebat: *Lucifer, qui mane oriebatur, cecidit: Unde Lucifer? Quia illuminatus lucebat: Unde autem tenebroſus factus? Quia in veritate non ſtetit; Ergo ille antè Luciferum, ante omnem illuminatum; Siquidem ante omnem illuminatum ſit neceſſe eſt, a quo illuminantur omnes, qui illuminari poſſunt.*

II. L. 13. Conf. c. 5. n. 6. to. 1. aſſerit quod vita Angelica fa-

ca facta eſt ſpecioſa vita Dei illuminatione, quæ profecto eſt Dei gratia: *Multa diximus de cœlo cœli.... ſecundum ſpiritalis informitatis vagabunda deliquia, niſi converteretur ad eum, a quo erat qualiſcumque vita, & illuminatione fieret ſpecioſa vita.*

III. L. 13. Conf. c. 10. n. 11. to. 1. affirmat quod Dei illuſtratio fuit neceſſaria naturæ Angelicæ, ne fieret fluxa & tenebroſa: *In nobis diſtinguitur tempore, quod tenebræ fuimus: In illa vero dictum eſt quid eſſet, niſi illuminaretur; & ita dictum eſt, quaſi prius fuerit fluxa & tenebroſa, ut appareret cauſa qua factum eſt ut aliter eſſet, ideſt, ut ad lumen indeficiens converſa, lux eſſet.*

IV. L. 1. de Gen. ad Lit. c. 5. n. 10. to. 3. Decernit Dei Sapientiam occulta inſpiratione vocationis loqui creaturæ intellectuali. Hæc autem occulta inſpiratio vocationis, qua loquitur Deus, gratia Dei eſt: *Principium quippe creaturæ intellectualis eſt Æterna Sapientia, quod Principium manens in ſe incommutabiliter, nullo modo ceſſat occulta inſpiratione vocationis loqui ei creaturæ, cui Principium eſt, ut convertatur ad id ex quo eſt, quod aliter formata ac perfecta eſſe non poſſit.*

V. L. 11. de Gen. ad Lit. c. 33. n. 43. to. 3. definit quod Deus loquebatur intrinſecùs primis parentibus eo modo, quo Angelicas mentes illuſtrat. *Fortaſſis enim aliis intrinſecùs vel effabilibus, vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur; ſicut etiam cum Angelis loquitur ipſa incommutabili veritate illuſtrans mentes eorum.*

VI. L. 14. de Civ. Dei c. 13. n. 1. to. 7. ſtatuit quod voluntas primorum parentum in ſtatu innocentiæ à Deo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret; adeoque gratia illis collata, præter habitualem, fuit etiam gratia actualis: *Si voluntas in amore ſuperioris Immutabilis Boni, a quo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc teneſceret & frigeſceret, ut vel illa verum crederet dixiſſe ſerpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem.*

VII.

Digitized by Google

VII. L. de Nat. & Grat. c. 48. n. 56. to. 10. Pelagio aſſerenti abſque indigentia divinæ gratiæ, in noſtra tantummodo poteſtate eſſe poſitum non peccare, ſic S. Doctor reſpondet. *Si de integra & ſana hominis natura loqueretur, quam modo non habemus... nec ſic recte diceret quod non peccare noſtrum tantummodo ſit, quamvis peccare noſtrum eſſet; nam & tunc eſſet adjutorium Dei, & tanquam lumen ſanis oculis, quo adjuti videant, ſe præberet volentibus; quia vero de hac vita diſputat, ubi corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem; miror quo corde, etiam ſine adjutorio medicinæ Salvatoris noſtri, noſtrum putet eſſe non peccare; poſſe vero non peccare, naturæ eſſe contendat, quam ſic apparet eſſe vitiatam, ut hoc majoris vitii ſit non videre*. Jam verò ex S. Auguſtino. Pro ſtatu naturæ integræ & ſanæ, ad non peccandum neceſſarium erat adjutorium Dei, quod tamquam lumen ſanis oculis, quo adjuti videant, præberet ſe videre volentibus. Cum autem adjutorium Dei per modum luminis neceſſarii ad videndum, quoties videre libuerit, ſit ex genere gratiæ actualis, conſequitur quod ex S. Auguſtino Gratia naturæ innocentis, præter habitualem, fuerit etiam gratia actualis.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Lucifer manè oriebatur, quia a Deo illuminatus lucebat*, (b) *cujus illuminatione facta eſt Angeli ſpecioſa vita*. (c) *fuiſſet enim fluxa & tenebroſa, niſi illuminaretur*; (d) *Sed Æterna Sapientia nullo modo ceſſat occulta inſpiratione vocationis loqui creaturæ intellectuali*. (e) *Cum primis etiam parentibus Deus intrinſecùs loquebatur, ſicut etiam cum Angelis loquitur illuſtrans mentes eorum*. (f) *Quorum voluntas in ſtatu innocentiæ a Deo illuſtrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret*. (g) *Nam & tunc erat adjutorium Dei, & tamquam lumen ſanis oculis, quo adjuti videant, ſe præbebat volentibus*. Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Tract. 3. in Joan. n. 7. to. 3. (*b*) L. 13. Confeſſ. c. 7. n. 6.

to. 1. (*c*) L. 13. Conf. c. 10. n. 11. to. 1. (*d*) L. 1. de Geneſ. ad Lit. cap. 5. n. 10. to. 3. (*e*) L. 11. de Geneſ. ad Lit. c. 33. n. 43. to. 3. (*f*) L. 14. de Civ. Dei c. 13. n. 1. to. 7. (*g*) L. de Nat. & Grat. c. 48. n. 56. to. 10.

ARTICULUS IV.

Utrum ex S. Auguſtino Donum integritatis fuerit in Primo Homine donum habitualis gratiæ?

Dicendum ex S. Auguſtino, quod donum integritatis fuit in primo homine donum habitualis gratiæ. Siquidem

I. LIb. 11. de Gen. ad Lit. c. 31. n. 41. to. 3. docet primos parentes fuiſſe originali integritate nudatos, gratia intrinſecùs deſerente: *Mox ut ergo præceptum tranſgreſſi ſunt, intrinſecùs gratia deſerente omnino nudati, quam typho quodam, & ſuperbo amore ſuæ poteſtatis offenderant, in ſua membra oculos injecerunt, eaque motu eo quem non noverant, concupiverunt.*

II. L. 11. de Gen. ad Lit. cap. 32. n. 42. to. 3. affirmat quod integritas, qua primus homo in ſua nuditate nihil indecens patiebatur, gratia Dei fuit qua veſtiebatur: *Ibi enim ſenſit, qua prius gratia veſtiretur, quando in ſua nuditate nihil indecens patiebatur. Ibi completum eſt: Domine in tua voluntate præſtitiſti decori meo virtutem: Avertiſti autem faciem tuam, & factus ſum conturbatus.*

III. L. 13. de Civ. Dei cap. 13. to. 7. aſſerit quod integritatis amiſſio, per quam primi parentes corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt, fuit ex deſerente gratia divina: *Poſteaquam præcepti facta tranſgreſſio eſt, confeſtim gratia deſerente divina, corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt.*

IV. L. 14. de Civ. Dei cap. 17. to. 7. definit quod integritas, per quam primorum parentum membra illorum voluntati non repugnabant, erat in eis indumentum gratiæ: *Patebant ergo oculi eorum, ſed ad hoc non erant aperti, hoc eſt,*

Digitized by Google

eſt, non attenti ut coguoſcerent quid eis indumento gratiæ præſtaretur, quando membra eorum voluntati repugnare neſciebant, qua gratia remota, ut pœnà reciprocà inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde eſſet indecens nuditas, & fecit attentos, reddiditque confuſos.

V. L. 1. de Peccat. Merit., & rem. c. 16. n. 21. to. 10. decernit integritatem, qua corpus Adæ ejus animæ omni ex parte obediebat, gratiam fuiſſe quam peccando perdidit: *Quando ergo peccavit Adam non obediens Deo, tunc ejus corpus, quamvis eſſet animale ac mortale, gratiam perdidit, qua ejus animæ omni ex parte obediebat.*

VI. L. 4. contr. Julian. cap. 16. n. 82. to. 10. ſtatuit integritatem, qua terrenum & animale corpus Adami beſtialem libidinem non habebat, magnam Dei gratiam fuiſſe, quæ illud contegebat atque veſtiebat: *Quid eſt guſtato cibo prohibito nuditas indicata, niſi peccato nudatum quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus gratia, non habebat in nudo corpore quod puderet, ſpoliatus gratia ſenſit quod operire deberet.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Mox ut primi parentes præceptum trangreſſi ſunt, intrinſecùs gratia deſerente omnino nudati, membra ſua motu eo quem non noverant, concupiverunt.* (b) *Ibi enim ſenſit Adam, qua prius gratia veſtiretur, quando in ſua nuditate nihil indecens patiebatur.* (c) *Sed poſteaquam præcepti tranſgreſſio facta eſt, confeſtim gratia deſerente divina, corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt.* (d) *Prius enim oculi eorum non erant aperti, ut cognoſcerent quid eis indumento gratiæ præſtaretur, quando membra eorum voluntati repugnare neſciebant, qua gratiâ remotâ, extitit in motu corporis quædam impudens novitas, unde eſſet indecens nuditas:* (e) *Tunc ergo Adæ corpus, quamvis eſſet animale & mortale, gratiam perdidit qua ejus animæ omni ex parte obediebat.* (f) *Gratia quippe Dei magna ibi erat,*

Digitized by Google

erat, ubi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus gratia non habebat in nudo corpore quod puderet, ſpoliatus gratia ſenſit quod operire deberet. (g) *Gratia autem ſi reddatur debita, non donetur indebita, gratia jam non eſt gratia*: Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) L. 11. de Gen. ad Lit. cap. 31. n. 41. to. 3. (*b*) L. 11. de Gen. ad Lit. c. 32. n. 42. to. 3. (*c*) L. 13. de Civ. Dei c. 13. to. 7. (*d*) L. 14. de Civ. Dei c. 17. to. 7. (*e*) L. 1. de Peccat. mer., & rem. c. 16. n. 21. to. 10. (*f*) L. 4. contr. Jul. c. 16. n. 82. to. 10. (*g*) L. 1. contr. 2. Epiſt. Pelag. c. 19. n. 37. to. 10.

QUÆSTIO III.

De Gratia Sufficiente.

IN IIX. ARTICULOS PARTITA.

Ab argumento de gratia naturæ innocentis, ad argumentum de gratia naturæ lapſæ gradum facimus cum S. Auguſtino. Gratiam autem naturæ lapſæ ſtatim partimur in *Sufficientem*, *Inefficacem*, & *Efficacem*, partitionibus aliis omiſſis, de quibus non acriter adeo hac noſtra ætate pugnatur. Et primo quidem quæſtionem de gratia ſufficienti in octo articulos diſtribuimus, quibus tum gratiam ipſam ſufficientem, tum ea, ex quibus gratia ſufficiens neceſſario proficiſcitur, comprehendimus. Octo igitur ex S. Doctore hic ſe ſe offerunt examinanda. I. Utrum ex S. Auguſtino Deus ſincera voluntate velit omnium omnino hominum ſalutem? II. Utrum ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus pro omnibus omnino hominibus mortuus ſit, ſanguinem fuderit, & oraverit? III. Utrum ex S. Auguſtino omnia Dei præcepta ſint omnibus omnino hominibus aliquomodo poſſibilia? IV. Utrum ex S. Auguſtino adſit omnibus gratia ſufficiens, qua Dei præcepta fiant illis aliquomodo poſsibilia? V. Utrum ex S. Auguſtino Gratia ſufficiens detur omnibus hominibus ratione utentibus? VI. Utrum ex S. Auguſtino Gratia ſufficiens detur omnibus infi-

Digitized by Google

infidelibus ratione utentibus? VII. Utrum ex S. Auguſtino Gratia ſufficiens detur peccatoribus excæcatis, & obduratis? VIII. Utrum ex S. Auguſtino Parvulis omnibus Deus præparaverit ſufficientia media ad ſalutem?

ARTICULUS I.

Utrum ex S. Auguſtino Deus ſincera voluntate velit omnium omnino hominum ſalutem?

Videtur quod ex S. Auguſtino Deus voluntate ſincera non velit omnium omnino hominum ſalutem. Siquidem

I. LIb. de Corr., & Grat. cap. 14. n. 44. to. 10. hæc habet: *Ita dictum eſt: Omnes homines vult ſalvos fieri, ut intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in eis eſt.*

II. In Enchir. c. 103. n. 27. to. 6. docet quod debemus *Ita intelligere quod ſcriptum eſt: qui vult omnes homines ſalvos fieri, tamquam diceretur: Nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem fieri ipſe voluerit: Non quod nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit; ſed quod nullus fiat, niſi quem velit; & ideo ſit rogandus ut velit, quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit: Aut certe ſic dictum eſt: Qui omnes homines vult ſalvos fieri, non quod nullus hominum eſſet, quem ſalvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuiſſe pœnitentiam ſi feciſſet; ſed ut omnes homines, omne genus humanum intelligamus, per quaſcumque differentias diſtributum Reges, Privatos, Nobiles, Ignobiles, Sublimes, Humiles, Doctos, Indoctos.... Etſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus. Quid eſt enim eorum, unde non Deus per Unigenitum ſuum Dominum noſtrum, per omnes gentes ſalvos fieri velit; & ideo faciat, quia Omnipotens velle inaniter non poteſt, quodcumque voluerit?*

III. L. 4. contra Jul. c. 8. n. 44, & 45. to. 10. hæc ſtatuit: *Omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire:*

Digitized by Google

nire: Omnes poſitos eſſe pro multis, quos ad iſtam gratiam vult venire.... Utrumque utrique noſtrum profundum ſit: Cur in majoribus, & in minoribus Deus velit alteri, & nolit alteri ſubvenire.

IV. Ad Vital. ep. 217. c. 6. n. 19. to. 2. hæc definit de Voluntate Dei circa parvulorum ſalutem decedentium ſine baptiſmo: *Quod dictum eſt: Omnes homines vult Deus ſalvus fieri, cum tam multos nolit ſalvos fieri; ideo dictum eſt, quia omnes qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt. Et ſi quo alio modo illa verba apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos, volentibus hominibus ſed Deo nolente, ſalvos non fieri, contraria eſſe non poſſint.*

V. L. 4. contra Julian. c. 8. n. 42. to. 10. Hæc iterum repetit de Chriſti Domini voluntate circa ſalutem parvulorum pereuntium ſine baptiſmo: *Quibus dicere non poteſt: Volui & noluiſtis; quia ſi voluiſſet, quis eorum qui nondum habent ſuæ voluntatis arbitrium, voluntati ejus Omnipotentiſſimæ reſtitiſſet?*

VI. L. 5. contra Julian. c. 14. n. 43. to. 10. de iiſdem parvulis hæc ſcribit: *Quod multo eſt mirabilius, aliquando adoptat in filium quem format in utero immundiſſimæ fœminæ; & aliquando non vult eſſe ſuum filium quem format in utero ſuæ filiæ: Ille quippe ad baptiſmum neſcio qua proviſione pervenit; Iſte repentina morte non pervenit.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum quod ex S. Auguſtino Deus ſincera voluntate velit omnium omnino hominum ſalutem; Hæc enim ſatis perſpicua atque explorata eſt Sancti Doctoris ſententia. Quod ita conficitur.

I. L. de Spir., & Lit. c. 33. n. 58. to. 10. hæc habet de voluntate Dei circa ſalutem hominum: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, juſtiſſime judicentur; quod cum ſit, infideles quidem*

dem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideò tamen eam vincunt, verum ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt, vinceretur autem, ſi non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo poſſent evadere quod de talibus ille conſtituit. Qui enim dicit v.g. Volo ut hi omnes ſervi mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur; ità ut quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat; videtur quidem quicumque contemſerit, contra voluntatem Domini ſui facere, ſed tunc eam vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit, quod nullo modo fieri poteſt ſub Dei poteſtate.

Jam vero ex S. Auguſtino: Illos homines vult Deus ſalvos fieri, qui vel bene vel male utuntur libero arbitrio, & per hoc juſtiſſimè judicantur; ſed omnes homines adulti, tam Fideles quam infideles, tam prædeſtinati quam reprobi, vel bene vel male utuntur libero arbitrio, & per hoc juſtiſſimè judicantur; Ergo ex Sancto Auguſtino omnes homines adultos, tam Fideles quam infideles, tam prædeſtinatos quam reprobos vult Deus ſalvos fieri.

Rurſus ex S. Auguſtino: Infideles reprobi qui Dei Evangelio non credunt experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contemſerunt, faciunt contra Dei voluntatem, volentis illos ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; Ergo ex S. Auguſtino voluntas Dei eſt ut infideles reprobi ſalvi fiant, & in agnitionem veritatis veniant.

Tandem ex S. Auguſtino voluntas Dei quoad ſalutem hominum, ſe habet ſicut voluntas Domini quoad requiem atque convivium ſervorum ſuorum, poſt expletum in vinea laborem; Sed ex S. Auguſtino hæc voluntas Domini ſe extendit etiam ad illos ſervos, qui laborare nolunt in vinea, & in pœnam ſocordiæ ſemper in piſtrino molent; ergo ex S. Auguſtino illa Dei voluntas ſe extendit etiam ad illos homines qui benè operari intra Eccleſiam nolunt, & in pœnam inertis inobedientiæ ſemper in inferis cruciabuntur; ac proinde ex S. Auguſtino:

Deus ſincera voluntate vult omnes homines etiam reprobos ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Idea autem ſinceræ Dei voluntatis quo ad univerſorum ſalutem hominum, ex S. Auguſtino eſt hujuſmodi: *Volo ut omnes homines ſervi mei benè operentur in vinea, quæ eſt Eccleſia mea, & poſt expletum vitæ laborem, requieſcentes epulentur in menſa mea; ita ut quiſquis eorum hoc noluerit, in inferno ſemper ardeat.* Hæc autem Dei voluntas ſic ex S. Auguſtino propoſita, ut per ſe patet, univerſos homines prorſus complectitur, & comprehendit.

II. Serm. 304. cap. 3. n. 2. tom. 5. hæc verba facit: *Prorſus nullum genus hominum de ſua vocatione deſperet. Pro omnibus paſſus eſt Chriſtus, veraciter de illo ſcriptum eſt: Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.*

Jam verò: Si Deus voluntatem habet ſalvandi ſolos prædeſtinatos, nullam autem omnino voluntatem habet ſalvandi reprobos, non adimitur omnibus prorsùs hominibus deſperatio ſalutis; ergo ex S. Auguſtino: Deus aliquam voluntatem habet ſalvandi etiam reprobos; ac proindè vult omnes omnino homines ſalvos fieri.

III. Serm. 174. de Verbis Apoſtoli c. 5. n. 6. to. 5. *Humanus ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere magnos, puſillos, peccatores ſalvos facere. Venit Filius hominis quærere, & ſalvare quod perierat.*

Infero: Omnes omnino homines ſunt vel peccatores puſilli, propter peccatum dumtaxat originale; vel peccatores magni, propter peccata etiam perſonalia; Ergo ex S. Auguſtino Chriſtus Jeſus venit in mundum omnes homines omnino ſalvos facere; ac proinde Deus omnes omnino homines ſincera voluntate vult ſalvos fieri.

IV. Serm. 87. c. 11. n. 13. to. 5. hæc affirmat: *Ægrotat humanum genus non morbis corporis, ſed peccatis. Jacet toto orbe terrarum ab oriente uſque ad occidentem grandis ægrotus. Ad ſanandum grandem ægrotum deſcendit Omnipotens Medicus;* At-

Digitized by Google

Atqui hujuſmodi grandis ægrotus jacens toto orbe terrarum ab oriente uſque ad occidentem ſunt omnes omnino homines; Ergo ex S. Auguſtino Omnipotens Medicus deſcendit ad ſanandos omnes omnino homines; adeòque ex S. Auguſtino: Deus ſincerâ voluntate vult ſalvos fieri omnes omninò homines:

V. Tract. 36. in Joan. n. 4. to. 3. hæc definit: *Venit Chriſtus, ſed primò ſalvare, poſtea judicare; eos judicando in pœnam qui ſalvari noluerunt, eos perducendo ad vitam qui credendo ſalutem non reſpuerunt.*

Hoc poſito: ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus ſecundò venturus eſt eos judicare, quos primo venit ſalvare; ſed ex S. Auguſtino ſecundo venturus eſt judicare tum eos qui ſalvari noluerunt, tùm eos qui ſalutem non reſpuerunt; ac proindè omnes homines; Ergo ex S. Auguſtino venit primo ſalvare tum eos qui ſalvari noluerunt, tum eos qui ſalutem non reſpuerunt; ac proindè omnes homines; Ergo ex S. Auguſtino ſincera voluntas Dei eſt ut omnes homines ſalvi fiant.

VI. Tract. 12. in Joan. n. 12. to. 3. ait: *Quantum in Medico eſt ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit qui præcepta medici obſervare non vult. Venit Salvator in mundum. Quare Salvator dictus eſt mundi, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipſo? Ex te judicaberis;*

Ergo ex S. Auguſtino Cœleſtis Medicus, quantum in ſe eſt, ſanare venit etiam illos ægrotos qui ſeipſos interimunt, nolendò obſervare præcepta Cœleſtis medici. Rurſus: Mundi Salvator venit ſalvare etiam eos qui nolunt ab ipſo ſalvari; ac proinde ex ſe condemnantur; ſed hujuſmodi ſunt omnes reprobi; Ergo ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus venit etiam ſalvare omnes reprobos; ac proinde voluntas ejus eſt ut non ſolum prædeſtinati, ſed etiam reprobi ſalvi fiant.

VII. L. de Cathec. rud. cap. 26. n. 52. to. 6. *A quo interitu, hoc eſt, pœnis ſempiternis Deus Miſericors volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant Miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Unigenitum Filium ſuum;*

Ergo ex S. Auguſtino Deus Miſericors miſit Unigenitum Filium ſuum volens a ſempiternis pœnis homines liberare,

etiam eos qui cum ſibi ipſis ſint inimici, & reſiſtant Miſericordiæ Creatoris ſui, non liberantur; ſed hujuſmodi ſunt omnes reprobi; ergo ex S. Auguſtino Deus Miſericors vult liberare etiam reprobos; adeoque omnes homines.

VIII. L. 3. de Lib. Arb. c. 19. n. 53. to. 1. hæc ſtatuit: *Non tibi deputatur ad culpam .... quod vulnerata membra non colligis; ſed quod volentem ſanare contemnis.*

Ergò ex S. Auguſtino Deus quantum eſt in ſe vult ſanare; adeoque ſalvare ipſos etiam contemnentes Deum ſalvare volentem; ac proinde omnes Deus vult ſalvare.

IX. Serm. 351. c. 5. n. 12. to. 5. hæc decernit: *Quidquid enim feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te Deus, ſi omnino ſanare nollet, auferret. Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando non tibi perſuaſit ut non recederes, parcendo clamat ut redeas;*

Ergo ex S. Auguſtino Deus quantum in ſe eſt ſanare vult quoslibet licet nequiſſimos peccatores, donec in hac vita ſunt, quos patientia ſua ad pœnitentiam provocat, & parcendo clamat ut redeant. Hæc autem Dei voluntas non cohæret cum eo quod nulla ratione velit reprobos ſalvos fieri Deus.

X. In Pſalm. 145. n. 13. tom. 4. hæc declarat: *Ideo deſerunt Deum, & pergunt per quælibet peccata, quia non credunt curare Deum quid agant. Noli te deſperare. Qui curavit facere te, non curat reficere te?*

Ergo ex S. Auguſtino a nullo hominum eſt deſperanda ſalus, quia illos omnes curat Redemptor Deus reficere, quos curavit Conditor Deus facere; ſed omnes omnino homines Conditor Deus curavit facere; ergò ex S. Auguſtino omnes omnino homines Redemptor Deus curat reficere; ac proinde omnes ſalvos fieri vult Deus.

XI. L. 5. contra Julian. c. 1. n. 3. to. 10. hæc habet de parvulis: *Sententia noſtra nec deformis eſt, quia ſpecioſum forma præ filiis hominum Salvatorem prædicat omnium hominum; ac per hoc etiam parvulorum.*

Ergo

Digitized by Google

Ergo ex S. Auguſtino Deus eſt Salvator parvulorum, quia homines ſunt; ſed parvuli decedentes ſine baptiſmo homines ſunt; Ergo ex S. Auguſtino Deus quantum in ſe eſt, etiam Salvator eſt parvulorum decedentium ſine baptiſmo; ac proinde voluntatem ſinceram habet de illorum etiam ſalute.

Ad primum ergo dicendum quod Semipelagiani negabant Deum habere voluntatem ullam peculiarem, peculiariter benevolam, & peramanter efficacem circa ſalutem eorum qui ſalvi fiunt, affirmantes unam dumtaxat eſſe Dei voluntatem univerſalem, indifferentem, æqualem circa ſalutem hominum tum eorum qui ſalvi fiunt, tum eorum qui pereunt. Ex hac Dei voluntate emanare docebant communia, & æqualia dumtaxat media omnibus prorſus hominibus ad conſequendam ſalutem præparata. Media hujuſmodi apud illos erant natura rationis compos, arbitrium liberum, lex propoſita omnibus vel Naturalis, vel Moſayca, vel Evangelica, Baptiſmus omnibus præparatus, Chriſti Domini exempla, quibus adjumentis, abſque ope interioris gratiæ, poſſe omnes credere, perſeverare finaliter, & ſalvi fieri decernebant. Hæc omnia conſtant ex epiſt. Proſperi ad Auguſtinum 225. n. 3. tom. 2. cujus hæc verba ſunt de placitis Maſſilienſium Semipelagianorum. *Hoc autem propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundum quod placuit Creatori alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & Sanctis occaſionem teporis afferre.*

Et eadem epiſtola n. 4. de Semipelag. hæc teſtatur: *Propoſitum autem vocantis gratiæ in hoc omnino definiunt, quod Deus conſtituerit nullum in regnum ſuum, niſi per Sacramentum regenerationis aſſumere; & ad hoc ſalutis donum omnes homines univerſaliter, ſivè per naturalem, ſive per ſcriptam legem, ſivè per evangelicam prædicationem vocari, ut & qui voluerint fiant filii Dei, & inexcuſabiles ſint qui fideles eſſe noluerint; quia Juſtitia Dei in eo ſit, ut qui non crediderint, pereant; Bonitas in eo appareat, ſi neminem repellat à vita; ſed*

Digitized by Google

ſed indifferenter univerſos velit ſalvos fieri , & in agnitionem veritatis venire : Hæc S. Proſper .

Adverſus hujuſmodi errorem dimicans Auguſtinus docebat: Deum habere voluntatem ſpecialiter efficacem circa prædeſtinatorum ſalutem, quam non habet ergà ſalutem ceterorum hominum . Hinc factum eſt ut S. Auguſtinus Semipelagianis acriter repugnans, verba illa apoſtolica : *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, frequentius interpretaretur de voluntate Dei peculiari, peculiariter benevola, & efficaciter prædilectiva, quam obfirmatè Semipelagiani negabant . At non proinde voluntatem Dei univerſalem, indifferentem, & de ſe ſufficientem circa ſalutem omnium omnino hominum, infrequentius licet de ea loqueretur, S. Doctor unquam excluſit; ut conſtat ex productis ſuperioribus teſtimoniis, quorum illud eſt præclariſſimum, quo per aptiſſimam ſimilitudinem Domini, exprimit Dei voluntatem circa ſalutem omnium omnino hominum adultorum L. de Spir. & Lit. c. 33. n. 58. to. 10. *Volo ut hi omnes ſervi mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur* ; *ita ut quiſquis eorum hoc noluerit , in piſtrino ſemper molat* . Scilicet : Allegoria remota : *Volo ut omnes homines ſervi mei intra Eccleſiam juſte vivant, & poſt vitam juſte exactam, requieſcentes beate vivant*; *ita ut quiſquis eorum hoc noluerit, in inferno ſemper ardeat* . Hanc fuiſſe mentem S. Doctoris auctor eſt S. Proſper diſcipulus, & interpres optimus magiſtri ſui Auguſtini; ſiquidem adverſus Gallos obtrectatores S. Auguſtini jactantes eum docuiſſe, nullam Deum voluntatem habere circa reproborum ſalutem: libro reſponſionum pro Auguſtino ad capitula calumniantium Gallorum object. 8. ſub n.8. hæc habet : *Qui dicit : Quod non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, durius loquitur quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei, qui & omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet quos præſcitos prædeſtinavit, prædeſtinatos vocavit, vocatos juſtificavit, juſtificatos glorificavit*. Qui hæc dicit : *Durius loquitur*, ex S. Proſpero; mentionem faciens de ſola Dei voluntа-

luntate efficaci quæ ſolos reſpicit prædeſtinatos, in quibus implet propoſitum voluntatis ſuæ univerſalis & ſufficientis circa ſalutem omnium omnino hominum. Et rurſus: I. reſponſionum pro Auguſtini doctrina ad capitula objectionum Vincentianarum, calumniantibus Gallis dixiſſe Auguſtinum: *Quia Deus nolit omnes ſalvare, etiamſi omnes ſalvari velint*: Ita reſpondet: *Sinceriſſime credendum & profitendum eſt, Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant; ſiquidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſime præcepit, quod in omnibus Eccleſiis custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur, ex quibus quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum; quod multi ſalventur, ſalvantis eſt donum*. Argumentum igitur S. Proſperi eſt hujuſmodi. Ex Apoſtolo illos homines vult Deus ſalvos fieri, pro quibus ex eodem eſt Deo ſupplicandum; ſed ex Apoſtolo pro omnibus omnino hominibus & prædeſtinatis, & reprobis eſt Deo ſupplicandum; Ergo ex Apoſtolo omnes omnino homines & prædeſtinatos, & reprobos vult Deus ſalvos fieri.

Ad ſecundum dicendum ſimiliter, S. Auguſtinum in allegato textu agere de ſola voluntate Dei efficaci, vi cujus omnes, & ſoli prædeſtinati per efficacia media ſalutem conſequuntur. Hæc autem voluntas non pugnat, quinimo optime conciliatur cum voluntate Dei ſufficienti, vi cujus omnes omnino homines per ſufficientia media ſalutem conſequi poſſunt. Eruitur hoc ex eodem S. Doctore; ſic enim poſequitur loco citato, de ſententia illa apoſtolica. *Et quocumque alio modo intelligi poteſt, dum tamen credere non cogamur, aliquid Omnipotentem Deum voluiſſe, factumque non eſſe*; Sed ſi hoc modo intelligatur illa ſententia apoſtolica, ut ex ſincero humanæ ſalutis amore, velit Deus omnibus prorſus hominibus præparare ſufficientia media, quibus conſequi ſalutem poſſint, non cogimur credere Omnipotentem Deum aliquid voluiſſe, factumque non eſſe; Si quidem ex ſincero humanæ ſalutis amore, in omnibus prorſus hominibus Omnipotes Deus voluit ſolidam poteſtatem conſequendæ ſalutis, & factum eſt ita; ergo ex S. Doctore hoc modo intelligi poteſt illa ſententia apoſtolica, ut Deus ſincere velit omnes prorſus homines ſalvos fieri.

Ad

Ad Tertium dicendum quod ex ſuperioribus dictum eſt: S.Auguſtinum loco citato, voluntatem Dei efficacem adverſos Pelagianos propugnare circa prædeſtinatorum ſalutem, qua voluntate vult alteri, & non vult alteri ſubvenire, ſubſidiis videlicet peculiaribus, & efficacibus; cum velit ſubvenire omnibus per generalia, & ſufficientia ſubſidia.

Ad Quartum dicendum ex S.Auguſtino. Parvulos decedentes ſine baptiſmo nolle Deum ſalvos fieri, voluntate ſpeciali, & efficaci; ſed ſalvos fieri velle voluntate dumtaxat generali, & ſufficienti, quâ præparavit & ipſis opportuna, & ſufficientia media ad ſalutem; adeo ut per Deum non ſtet quo minus ſalutem conſequi poſſint: Siquidem L. 4. contra Julian. c.8. n.42. to. 10. dicit: *Numquid homines non ſunt parvuli, ut non pertineant ad id quod dictum eſt: omnes homines vult ſalvos fieri?* Et L. 5. contra eumdem. c. 1. n. 3. to. 10.: *Sententia noſtra Salvatorem prædicat omnium hominum; ac per hoc etiam parvulorum.*

Ad Quintum dicendum quod ſupra, videlicet: Si Deus voluiſſet voluntate ſpeciali & efficaci ſalutem omnium omnino parvulorum, quis eorum, qui nondum habent ſuæ voluntatis arbitrium, voluntati ejus Omnipotentiſſimæ reſtitiſſet? Sed voluit voluntate generali & ſufficienti, quâ exhibuit omnibus media de ſe apta, idonea, & ſufficientia ad ſalutem.

Ad Sextum dicendum quod ex S. Auguſtino: Deus aliquando parvulum quem format in utero ſuæ filiæ non vult eſſe ſuum filium, eâ dumtaxat voluntate, quam toties recenſuimus in ſuperioribus, videlicet prædilectiva, & prælectiva.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Vult Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, qui vel bene vel male utentes libero arbitrio, juſtiſſime judicantur. Quod cum ſit, infideles quidem contra univerſalem hanc Voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt. Hæc autem Dei voluntas eſt huic*

huic ſimilis: Volo ut hi omnes ſervi mei operentur in vinea, & poſt laborem requieſcentes epulentur; itaut quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat. (b) *Quamobrem nullum prorſus genus hominum de ſua vocatione deſperet; Siquidem Chriſtus Dominus pro omnibus paſſus eſt, de quo veraciter ſcriptum eſt: Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* (c) *Venit enim in mundum peccatores ſalvos facere magnos, puſillos, peccatores ſalvos facere: venit quærere, & ſalvare quod perierat.* (d) *Deſcendit Omnipotens Medicus ad ſanandum humanum genus, grandem ægrotum, non morbis corporis, ſed peccatis, jacentem toto orbe terrarum ab Oriente uſque ad Occidentem.* (e) *Quantum enim in Medico eſt ſanare venit ægrotum: Ipſe ſe interimit, qui præcepta Medici obſervare non vult: Venit Salvator in mundum, ſalvari non vis ab ipſo? Ex te judicaberis.* (f) *Venit etenim, ſed primo ſalvare, poſtea judicare, eos judicando in pœnam, qui ſalvari noluerunt, eos perducendo ad vitam, qui credendo ſalutem non reſpuerunt.* (g) *Deus enim miſericors à pœnis ſempiternis volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant Miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Unigenitum Filium ſuum.* (h) *Hinc non deputatur homini ad culpam, quod vulnerata membra non colligit; ſed quod volentem ſanare contemnit:* (i) *Quidquid enim fecerit, quæcumque peccaverit, adhuc in hac vita eſt; unde illum Deus, ſi omnino ſanare nollet, auferret: Cur ergo ignorat, quia patientia Dei ad pœnitentiam illum adducit? Qui enim clamando non illi perſuaſit, ut non recederet; parcendo clamat, ut redeat.* (k) *Nolit ergo ſe deſperare. Qui curavit hominem facere, non curat hominem reficere? Dei enim Filius Salvator eſt omnium hominum; ac per hoc etiam parvulorum:* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) L. de Spir., & Lit. c. 33. n. 58. to. 10. (*b*) Serm. 304. c. 3. n. 2. to. 5. (*c*) Serm. 174. de Verb. Apoſtoli c. 5. n. 6. to. 5. (*d*) Serm. 87. c. 11. n. 13. to. 5. (*e*) Tract. 12. in Joan. n. 12. to. 3. (*f*) Tract. 36. in Joan. n. 4. to. 3. (*g*) De Cathechiz. rudib. c. 26. n. 52. tom. 6. (*h*) L. 3. de Lib. Arb. c. 19. n. 53.

Digitized by Google

to. 1. (i) Serm. 351. c. 5. n. 12. to. 5. (k) In Pſal. 145. n. 13. to. 4. (l Lib. 5. contra Julian. c. 1. n. 3. to. 10.

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Auguſtino. Chriſtus Dominus pro omnibus omnino hominibus mortuus ſit, Sanguinem fuderit, & oraverit?

Videtur quod ex S. Auguſtino. Non pro omnibus omnino hominibus mortuus ſit Chriſtus Dominus, Sanguinem fuderit, & oraverit: Etenim

I. DE verbis Apoſtoli Serm. 155. c. 8. n. 8. to. 5. dicit: *Ergo & hic miſit Deus Filium ſuum, propter præſcitos & prædeſtinatos vocandos, juſtificandos, glorificandos.*

II. Ad Evod. epiſt. 169. c. 1. n. 4. to. 2. *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt.*

III. Tract. 5. in epiſt. prim. Joan. n. 9. to. 3. *Non ſolum autem noſtrorum peccatorum Propitiator eſt, ſed & totius mundi. Mundi dicit omnium Fidelium per orbem ſparſorum.*

IV. L. 1. de Adulter. Conjug. cap. 15. n. 16. to. 6. *Sicut enim omnis, qui Chriſti ſanguine redemptus eſt, homo eſt; Non tamen omnis, qui homo eſt, etiam Sanguine Chriſti redemptus eſt.*

V. De Symb. ad Cathech. ſerm. 2. cap. 8. n. 17. to. 6. ſic ab Auguſtino inducitur Chriſtus alloquens reprobos in die judicii: *Qui non eſtis redempti pretio mei ſanguinis, non eſtis mei. Diſcedite a me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Sed illorum mors proficiat ad noſtram ſalutem. Si illi contempſerunt, nos timeamus eum, qui ſic venturus eſt judicare. Feſtinet unuſquiſque cum vivit, ut vivat. Currat ut ejus pretioſo ſanguine redimatur, ne cum non fuerit inventus in numero redemptorum, in numero maneat perditorum.*

VI. Tract. 107. in Joannem n. 1. to. 3. de Chriſti oratione hæc habet: *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi. Mundum vult modo intelligi, qui vivunt ſecundum concupiſcen-*

Digitized by Google

piſcentiam mundi, & non ſunt in ea ſorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, ſed pro eis quos ei Pater dedit, rogare ſe dicit. Per hoc enim, quod eos illi Pater jam dedit factum eſt, ut non pertineant ad eum mundum, pro quo non rogat.

VII. Tract. 110. in Joan. n. 2. to. 3. eadem ſic rurſus confirmat: *Eſt mundus, de quo ſcriptum eſt: Ne cum hoc mundo damnemur. Pro iſto mundo non rogat: Neque enim, quo ſit prædeſtinatus, ignorat.*

VIII. L. 21. de Civ. Dei c. 24. n. 1. to. 7. de Eccleſia; adeoque & potiori ratione de Chriſto aſſerit: *Si de aliquibus ita certa eſſet, ut qui ſint illi etiam noſſet, qui licet adhuc in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum quod ex S. Auguſtino. Chriſtus Dominus pro omnibus omnino hominibus mortuus ſit, ſanguinem fuderit, & oraverit; Hanc enim fuiſſe mentem S. Doctoris ſelectæ ejuſdem ſententiæ, quas hìc producimus, ita evincunt.

I. L. 6. contra Julian. cap. 9. n. 24. to. 10. hæc habet de homine primo, & Homine-Deo: *In illo uno mortui ſunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus.*

Ergo ex S. Auguſtino. Pro illis omnibus mortuus eſt Chriſtus, qui in Adamo mortui ſunt omnes; ſed omnes prorſus homines in Adamo ſunt mortui; ergo ex S. Auguſtino pro omnibus prorſus hominibus mortuus eſt Chriſtus.

II. L. 20. de Civ. Dei cap. 6. n. 1. to. 7. *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſive originalibus, ſive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo, nec faciendo quod juſtum eſt. Et pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus, ideſt, nullum habens omnino peccatum.*

Ergo ex S. Auguſtino. Chriſtus innocens mortuus eſt pro omnibus mortuis in peccatis, vel originalibus, vel perſonalibus,

bus, vel ignoranter, vel ſcienter contractis; ſed omnes prorſus homines, nemine prorſus excepto, mortui ſunt in peccatis vel originalibus, vel perſonalibus, vel ignoranter, vel ſcienter contractis; (*Excepta Sanctiſſima Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæſtionem*, ut Auguſtinus inquit L. de nat. & grat. c. 36. n. 42. to. 10.) Ergo ex S. Auguſtino pro omnibus prorſus hominibus, nemine prorſus excepto, Chriſtus innocens mortuus eſt.

III. L. 2. de Nupt., & Concupiſc. c. 33. n. 56. to. 10. Juliano interroganti: *Quomodo rei ſunt parvuli, pro quibus Chriſtus mortuus eſt?* Sic Auguſtinus reſpondet: *Immo parvuli quomodo rei non ſunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt?*

Ergo ex S. Auguſtino. Ideo Chriſtus Dominus mortuus eſt pro parvulis, quia reatum habent originalis peccati; ſed omnes prorſus homines, nullo excepto, reatum habent originalis peccati; ergo ex S. Auguſtino pro omnibus prorſus hominibus Chriſtus Dominus, nullo excepto, mortuus eſt.

IV. L. 2. Operis imperf. n. 175. to. 10. ſic Julianum negantem originale peccatum exagitat: *Hinc te exue ſi potes: quod unus pro omnibus mortuus eſt: & aude dicere: Non omnes mortuos pro quibus mortuus eſt Chriſtus; cum ſtatim tibi Apoſtolus fauces premat, & opprimat audaciſſimam vocem, quid ſequetur oſtendens, & dicens: Ergo omnes mortui ſunt. Noli ſic laudare Apoſtolum, noli ſic exponere, ut nolis audire.... In hos omnes cum peccato mors pertranſiit per illum, in quo omnes moriuntur. Ibi ſunt & parvuli, quia & pro ipſis Chriſtus mortuus eſt, qui propterea pro omnibus mortuus eſt, quia omnes mortui ſunt.*

Ergo ex S. Auguſtino. Propterea pro omnibus mortuus eſt Chriſtus Dominus, quia omnes per peccatum mortui ſunt; ſed omnes prorſus homines, nullo excepto, per peccatum mortui ſunt; ergo ex S. Auguſtino Pro omnibus prorſus hominibus, nullo excepto, Chriſtus Dominus mortuus eſt:

V. In Pſal. 142. n. 8. to. 4. ſic Chriſtum Dominum loquentem inducit: *Nihil feci unde moriar..... ut illi per Innocentis*

Digitized by Google

centis mortem liberentur, qui habebant quare morerentur;

Ergo ex S. Auguſtino. Chriſtus Dominus pro iis mortuus eſt, qui propter originale peccatum habent quare moriantur; Sed omnes prorſus homines, nullo excepto, propter originale peccatum habent quare moriantur; ergo ex S. Auguſtino pro omnibus prorſus hominibus, nullo excepto, Chriſtus Dominus mortuus eſt:

VI. In Pſal. 95. n. 15. to. 4. *Judicabit orbem terrarum in æquitate. Non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.*

Ergo ex S. Aug. Pro tot hominibus pretium dedit Chriſtus, quot judicaturus eſt Chriſtus; ſed omnes prorſus homines & prædeſtinatos, & reprobos, nemine prorſus excepto, judicaturus eſt Chriſtus; ergo ex S. Auguſtino pro omnibus prorſus hominibus & prædeſtinatis, & reprobis, nemine prorſus excepto, pretium dedit Chriſtus.

VII. L. de Symb. ad Catech. Serm. 4. c. 5. n. 5. to. 6. hæc de dæmone ſcribit: *Senſit Deum liberantem omnes, quos creaverat homines*:

Sed Deus creavit omnes omnino homines, nullo excepto; ergo ex S. Auguſtino quantum erat in ſe, morte ſua liberavit omnes omnino homines, nullo excepto.

VIII. In Pſalm. 96. n. 9. to. 4. hæc teſtatur: *Dominus univerſæ terræ, Dominus Jeſus Chriſtus in Judæa natus; ſed non Judææ tantum natus; quia & antequam natus omnes fecit; & qui omnes fecit, omnes refecit.*

Ergo ex S. Auguſtino. Chriſtus Dominus, quantum erat in ſe, illos omnes naſcendo, adeoque & moriendo refecit, quos creando fecit; ſed omnes omnino homines, nullo excepto, creando fecit; ergo ex S. Auguſtino, quantum erat in ſe, omnes omnino homines, nullo excepto, naſcendo, adeoque & moriendo refecit.

IX. De Symb. ad Cathech. Serm. 2. cap. 8. n. 17. tom. 6. ſic in extremo judicio Judæos reprobos alloquentem Dominum Jeſum inducit: *Ecce hominem quem crucifixiſtis. Ecce Deum & hominem in quem credere noluiſtis. Videtis vulnera quæ infliſtis.*

xiſtis. Agnoſcitis latus quod pupugiſtis; quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.

Ergo ex S. Auguſtino. Chriſti Domini latus apertum eſt etiam pro incredulis, reprobiſque Judæis; ergo ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus mortuus eſt non pro ſolis prædeſtinatis, ſed etiam pro reprobis; adeoque pro omnibus.

X. In Pſalm. 7. n. 9. tom. 4. ſic diſſerit: *Videtur conſumata nequitia hominum, qui crucifixerunt Filium Dei; ſed eorum major eſt qui nolunt recte vivere, & oderunt præcepta veritatis, pro quibus crucifixus eſt Filius Dei. Conſumetur ergo, inquit, nequitia peccatorum, ideſt, perveniatur ad ſummam nequitiam, ut poſſit juſtum jam venire judicium.*

Ergo ex S.Auguſtino. Filius Dei crucifixus eſt pro nolentibus recte vivere, pro odio habentibus præcepta veritatis, pro pervenientibus ad ſummam nequitiam, pro juſto Dei judicio damnandis; adeoque non pro ſolis prædeſtinatis; verum etiam pro reprobis.

XI. In Pſal. 129. n. 3. to. 4. ſic ſtatuit: *Sanguis Innocens fuſus delevit omnia peccata nocentium. Pretium tantum datum redemit omnes captivos de manu captivantis inimici;*

Sed omnes prorſus homines ſunt nocentes, omnes prorſus homines captivi ſunt ſub manu captivantis inimici; ergo ex S. Auguſtino omnes prorſus redemit homines, pro omnibus pretium dedit, pro omnibus ſanguinem fudit Chriſtus Dominus.

XII. In Pſal. 95. n. 5. to. 4. *Tenebantur homines captivi ſub diabolo, & dæmonibus ſerviebant; ſed redempti ſunt a captivitate. Vendere ſe potuerunt, ſed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit ſanguinem ſuum, emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Chriſti pretium eſt. Tanti quid valet, quid niſi totus Orbis? Quid niſi omnes gentes?... Pro toto dedit, quantum dedit: novit quid emerit, quia novit quanti emerit.*

Ergo ex S. Auguſtino. Illos homines emit Sanguine ſuo Chriſtus, qui ſunt valor debitus, & proportionatus pretio ſangui-

Digitized by Google

guinis Chriſti; ſed omnes prorſus homines, nullo prorſus excepto, per totum orbem diffuſi ſunt valor debitus, & proportionatus pretio Sanguinis Chriſti; ergo ex S. Auguſtino omnes prorſus homines, nullo prorſus excepto, per totum orbem diffuſos emit Sanguine ſuo Chriſtus.

XIII. Serm. 344. n. 4. to. 5. *Sanguis Domini tui, ſi vis datus eſt pro te; ſi nolueris eſſe, non eſt datus pro te. Hoc eſt magnum, quia ſemel dedit, & pro omnibus dedit. Sanguis Chriſti volenti eſt ſalus, nolenti eſt ſupplicium*;

Ergo ex S. Auguſtino. Sanguis Chriſti omnibus prorſus hominibus prædeſtinatis, & reprobis eſt exhibitus. Prædeſtinatis divini ſanguinis pretium acceptare volentibus eſt cauſa ſalutis. Reprobis autem ejuſdem ſanguinis pretium acceptare nolentibus eſt cauſa ſupplicii; ac proinde pro omnibus prorſus hominibus Chriſti ſanguis effuſus eſt.

XIV. In Cap. 3. epiſt. ad Galat. n. 18. to. 3. hæc de Judaica gente aſſerit: *Ante quorum oculos Chriſtus Jeſus proſcriptus eſt, crucifixus, hoc eſt, quibus videntibus Chriſtus Jeſus hereditatem ſuam, poſſeſſionemque ſuam amiſit. Nam ad hoc pertinet quod ait: Ante quorum oculos: quid enim tam ante oculos eorum contigit, quam quod in ipſis contigit? Cum autem dixiſſet: Jeſus Chriſtus proſcriptus eſt: Addidit: Crucifixus, ut hinc eos maxime moneret, cum conſiderarent quo pretio emerit poſſeſſionem, quam in eis amittebat, ut parum eſſet gratis eum mortuum, quod ſuperius dixerat. Illud enim ita ſonat, tamquam non pervenerit ad poſſeſſionem, pro qua ſanguinem dedit*;

Ergo ex S. Auguſtino. Chriſtus Dominus pretium dedit, & Sanguinem fudit non ſolum pro ea parte hereditatis ſuæ, quam non amiſit, ſed ad ejus poſſeſſionem pervenit; verum etiam pro altera hereditatis ſuæ parte, quam amiſſit, nec ad illius poſſeſſionem pervenit. Videlicet: allegoria remota. Chriſtus Dominus ptetium dedit, & ſanguinem fudit non ſolum pro populo prædeſtinato poſſidendo; verum etiam pro populo reprobo amittendo ex Eccleſia Judaica cum ex utroque populo prædeſtinato & reprobo Eccleſia Judaica coaleſceret, propter verum veri Dei cultum, Domini hereditas nuncupata; Ac proinde

Digitized by Google

de ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus pretium dedit, & Sanguinem fudit non ſolum pro prædeſtinatis; verum etiam pro reprobis. Uno verbo. Pro omnibus.

XV. Serm. 2. in Pſal. 68. n. 11. to. 4. hæc de Juda proditore affirmat: *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec cognovit pretium, quo ipſe a Domino redemptus erat*;

Ergo ex S. Auguſtino. Chriſtus Dominus ſui Sanguinis pretium obtulit pro redemptione Judæ proditoris, & reprobi; adeoque Sanguinem fudit etiam pro reprobis.

XVI. Serm. 382. c. 2. n. 2. to. 5. hæc habet de Chriſti oratione: *Quando ergo in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos; ſed multos ex iis futuros amicos prævidebat; & ideò omnibus veniam poſtulabat: Illi ſæviebant; & ille orabat: Illi dicebant* Pilato, *crucifige: Ille clamabat:* Pa*ter ignoſce .... Illis petebat veniam, a quibus accipiebat injuriam*;

Ergo ex S. Auguſtino pro omnibus, & quos prævidebat futuros amicos, & quos prævidebat permanſuros inimicos, pro ſævientibus, pro *Crucem* clamantibus, pro omnibus injuriam ſibi facientibus Dominus Jeſus oravit; ac proinde pro reprobis etiam, & in ſua infidelitate perituris.

XVII. Tract. 1. in epiſt. Joan. n. 9. to. 3. hæc iterum docet de Oratione Chriſti: *Sic dilige inimicos tuos, ut in ſocietatem tuam vocentur. Sic enim dilexit ille, qui in cruce pendens, ait: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Neque enim dixit. Pater vivant iſti multo tempore, me quidem occidant, ſed ipſi vivant. Sed quid ait?* Ignoſce illis, *quia neſciunt quid faciunt; mortem ſempiternam ab illis expellebat prece miſericordiſſima, & potentia præſtantiſſima. Multi ex eis crediderunt, & dimiſſus eſt eis fuſus Sanguis Chriſti.*

Ergo ex S. Auguſtino. Non omnes, ſed multi ex omnibus crucifixoribus a quibus Chriſtus Dominus prece miſericordiſſima & potentia præſtantiſſima, quantum erat de ſe, expellebat mortem ſempiternam crediderunt; & profuit eis Sanguis Chriſti. Ceteri pro quibus oravit non crediderunt, neque profuit illis San-

Sanguis Chriſti; ergo ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus pro omnibus oravit crucifixoribus, prædeſtinatis, & reprobis.

Ad primum ergo dicendum quod ex S. Auguſtino. Miſit Deus Filium ſuum affectu ſpecialiter benevolo propter prædeſtinatos vocandos vocatione congrua, & ſecundum Dei propoſitum, juſtificandos, & glorificandos. Sincero autem affectu, ſed generaliter tantum benevolo, miſit Deus Filium ſuum propter reprobos etiam vocandos, vocatione ex eorum malitia incongrua; adeoque vel nunquam, vel non perſeveranter vitio ſuo juſtificandos; ac proinde poſt finem minime glorificandos. Dicit enim S. Doctor L. de Cathec. Rudib. c. 26. n. 52. to. 6. *A quo interitu, hoc eſt, pœnis ſempiternis Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Unigenitum Filium ſuum.*

Ad ſecundum dicendum quod ex S. Auguſtino. Non perit unus ex illis, pro quibus Chriſtus Dominus mortuus eſt affectu ſpecialiter benevolo; adeoque morte quæ ipſis ſit futura utilis & fructuoſa. At pereunt omnes illi, pro quibus Chriſtus Dominus mortuus eſt affectu generaliter dumtaxat benevolo; adeoque morte, pereuntium vitio, iiſdem futura inutili & infructuoſa. Docet enim ſerm. 344. n. 4. to. 5. *Sanguis Domini tui, ſi vis, datus eſt pro te; ſi nolueris eſſe, non eſt datus pro te... Semel dedit, & pro omnibus dedit. Sanguis Chriſti volenti eſt ſalus, nolenti eſt ſupplicium.*

Ad tertium dicendum quod ex S. Auguſtino loco citato adverſus Donatiſtas diſputante. Chriſtus Dominus eſt propitiatio peccatorum totius mundi, videlicet, omnium Fidelium per orbem ſparſorum; adeoque omnes Fideles per orbem diſperſi pertinent ad Chriſti Domini Eccleſiam, quod Donatiſtæ negabant, contendentes Chriſti Eccleſiam contineri intra cœtum dumtaxat ſuorum Africam incolentium. Ceterum non excludit S. Auguſtinus infideles a Chriſti Domini propitiatione pro illis etiam exhibita, licet vitio proprio illis infructuoſa: Aſſerit enim de infidelibus in Eccleſiam intrare renuentibus: De Symb. ad Cathec. ſerm. 2. cap. 8. n. 17. to. 6. *Agnoſcitis la-*

Digitized by Google

tus quod pupugiſtis ; quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.

Ad quartum dicendum quod ex S. Auguſtino. Omnis, qui Chriſti Sanguine redemptus eſt, redemptione ſibi utili & fructuoſa, homo eſt; non tamen omnis, qui homo eſt, etiam Chriſti ſanguine redemptus eſt, redemptione ſcilicet ſibi utili & fructuoſa, & hoc quidem ex culpa hominis, non ex Chriſti Domini voluntate circa univerſalem redemptionem, & ſanguinis effuſionem pro omnibus prorſus hominibus, nullo excepto, prædeſtinatis & reprobis exhibitam atque oblatam. Statuit enim l. 20. de Civit. Dei c. 6. n. 1. to. 7. *Omnes mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſive originalibus, ſive etiam voluntate additis, & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus.*

Ad quintum dicendum quod ex S. Auguſtino. Non ſunt Chriſti, qui pretio ſui Sanguinis non ſunt redempti, redemptione videlicet ex eorum malitia ſibi utili & fructuoſa, quâ redemptione hortatur omnes, ut redimi velint per illa verba: *Currat ut ejus pretioſo Sanguine redimatur*. Ceterum ex S. Auguſtino omnes prorſus redempti ſunt quoad univerſalem redemptionis exhibitionem, oblato pretio pro omnibus ex Chriſti Domini miſericordia, cujus redemptionis fructu privantur ex ſua malitia reprobi; quia redemptione oblata uti nolunt. Hæc enim verba præcedunt allegatam S. Doctoris ſententiam: *Agnoſcitis latus quod pupugiſtis; quoniam per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.*

Ad ſextum dicendum quod ex S. Auguſtino. Chriſtus Dominus non rogavit pro reprobis affectu ſpecialiter benevolo, & quoad obtinenda reprobis efficacia media ad ſalutem; quemadmodum neque hoc affectu mortuus eſt pro reprobis. At rogavit pro reprobis affectu ſincero, & univerſaliter benevolo quoad obtinenda reprobis media ſufficientia ad ſalutem; quemadmodum hoc eodem affectu mortuus eſt etiam pro reprobis, ut ſupra demonſtratum eſt. Teſtatur enim ſerm. 382. c. 2. n. 2. to. 5. quod Chriſtus Dominus in cruce pendens: *Omnibus veniam poſtula-*

ſtulabat & iis quos videbat inimicos, & iis quos prævidebat futuros amicos.

Ad ſeptimum dicendum illud idem quod ex S. Auguſtino dictum eſt ſupra ad ſextum. Siquidem Tract. 1. in Epiſt. Joan. n. 9. to. 3. dicit, quod: *Ex eis, à quibus mortem ſempiternam expellebat prece miſericordiſſima, & potentia præſtantiſſima, multi crediderunt; & dimiſſus eſt eis fuſus Sanguis Chriſti.*

Ad octavum dicendum quod S. Auguſtinus loco cit. quorumdam errorem refellit, qui futurum exiſtimabant, ut in die judicii Deus ſanctorum ſuorum precibus motus, condonaret omnium reproborum peccata hominum, illoſque perduceret ad ſuum regnum. Hunc errorem refellit S. Doctor. Primo: quia ſi ſanctorum precibus homines reprobi in die judicii conſequentur æternam ſalutem, nulla cauſa eſt, quare etiam angeli reprobi ſanctorum precibus non conſequantur in die judicii eamdem ſalutem. Secundo: quia in die judicii non erit amplius tempus pœnitentiæ fructuoſæ, ſicuti eſt nunc, donec homines ſunt in hac vita; adeoque bene quidem nunc orat Eccleſia pro reproborum ſalute; ſed minime orabit in die judicii. Ecce verba S. Doctoris loco cit. *Cur ergo eadem perfectiſſima ſanctitate.. etiam pro angelis non orabunt, quibus paratus eſt ignis æternus, ut Deus ſententiam ſuam mitiget, & reflectat in melius, eoſque ab illo igne faciat alienos? Quod nemo ſanæ fidei dixit, nemo dicturus eſt; alioquin nulla cauſa eſt cur non etiam nunc pro diabolo & angelis ejus oret Eccleſia... Eadem ipſa cauſa eſt qua fiet, ut in illo tunc judicio etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamvis perfecta ſit ſanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ.* Infero. Ex S. Auguſtino. Quia nunc tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ, pro omnibus prorſus hominibus orat Eccleſia; Ergo ex S. Doctore, quia nunc tempus eſt pœnitentiæ fructuoſæ, pro omnibus prorſus hominibus oravit Dominus Jeſus. Ceterum non eſt eadem prorſus ratio Chriſti, & Eccleſiæ. Chriſtus enim eſt Caput, Redemptor, Reconciliator, Mediator inter Deum & homines;

 adeo-

Digitized by Google

adeoque quamvis Chriſtus Dominus certiſſime ſciret qui eſſent reprobi, adhuc tamen ratione Capitis, Redemptoris, Reconciliatoris, atque Mediatoris Deum inter & homines, ad ipſum pertinebat etiam obtinere reprobis ſufficientia auxilia, quæ illis de facto obtinuit, quibus ſalutem æternam conſequi poſſent. At vero Eccleſia non eſt caput, ſed corpus, non redemptrix, ſed redempta, non reconciliatrix medians inter Deum, & homines; ſed Deo reconciliata per Deum-Hominem; adeoque his muneribus deſtituta, non pertinet ad ipſam orare pro reprobis, quos ex divina revelatione certiſſime noſceret eſſe reprobos.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *In illo uno Adam mortui ſunt omnes, ut moreretur alius unus, Dominus Jeſus pro omnibus*. (b) *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſive originalibus, ſive etiam voluntate additis: Et pro omnibus mortuis, vivus mortuus eſt unus*. (c) *Hinc etiam pro parvulis Chriſtus mortuus eſt, propterea quia rei ſunt*. (d) *Propterea enim pro omnibus mortuus eſt, quia omnes per peccatum mortui ſunt*. (e) *Hinc totum terrarum orbem judicare habet, quia pro toto terrarum orbe pretium dedit*. (f) *Tunc incredulis Judæis dicet: Ecce hominem, quem crucifixiſtis: Ecce Deum & hominem, in quem credere noluiſtis. Videtis vulnera quæ inflixiſtis. Agnoſcitis latus quod pupugiſtis; quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis*. (g) *Videtur ergo conſumata nequitia Judæorum, qui crucifixerunt Filium Dei; ſed eorum major eſt, qui nolunt recte vivere, & oderunt præcepta veritatis, pro quibus crucifixus eſt Filius Dei, quorum conſumetur nequitia, ut juſtum poſſit venire judicium*. (h) *Et ideo juſtum, quia Sanguis innocens fuſus delevit de ſe omnia peccata nocentium. Pretium tantum datum redemit omnes captivos de manu captivantis inimici*. (i) *Tunc Diabolus ſenſit Deum liberantem omnes, quos creaverat homines*. (k) *Siquidem qui omnes fecit, omnes refecit*. (l) *Sanguis enim Chriſti pretium eſt:*

Tanti

Digitized by Google

Tanti quid valet? Quid niſi totus Orbis? Quid niſi omnes gentes? Pro toto dedit, quantum dedit. Novit quid emerit, quia novit, quanti emerit. (m) *Itaque Sanguis Domini tui, ſi vis, datus eſt pro te; ſi nolueris eſſe, non eſt datus pro te. Semel dedit, & pro omnibus dedit. Sanguis Chriſti volenti eſt ſalus, nolenti eſt ſupplicium.* (n) *Ita evenit Judæis: Ante quorum oculos, inquit Apoſtolus, Chriſtus Jeſus proſcriptus eſt, crucifixus; ut hinc eos maxime moneret, cum conſiderarent quo pretio emerit poſſeſſionem, quam in eis amittebat, ut parum eſſet gratis eum mortuum, tanquam non pervenerit ad poſſeſſionem, pro qua Sanguinem dedit.* (o) *Ex quibus Judas nequiſſimus projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec cognovit pretium, quo ipſe a Domino redemptus erat.* (p) *Qui autem pretium dedit pro proditore, oravit etiam pro crucifixore: Quando ergo in cruce pendens orabat, videbat & prævidebat omnes inimicos; ſed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam poſtulabat.* (q) *Dicendo, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Mortem tunc ſempiternam ab illis expellebat prece miſericordiſſima, & potentia præſtantiſſima. Multi ex eis crediderunt, & dimiſſus eſt eis fuſus Sanguis Chriſti*: Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) L. 6. contr. Julian. cap. 9. n. 24. to. 10. (*b*) Lib. 20. de Civ. Dei cap. 6. n. 1. to. 7. (*c*) Lib. 2. de Nupt. & Concup. c. 33. n. 56. to. 10. (*d*) L. 2. op. imp. n. 175. to. 10. (*e*) In Pſal. 142. n. 8. to. 4. (*f*) De Symb. ad Cathec. ſer. 2. cap. 8. n. 17. to. 6. (*g*) In Pſalm. 7. n. 9. to. 4. (*h*) In Pſal. 129. n. 3. to. 4. (*i*) De Symb. ad Cathec. ſerm. 4. cap. 5. n. 5. to. 6. (*k*) In Pſal. 96. n. 9. to. 4. (*l*) In Pſal. 95. n. 5. to. 4. (*m*) ſerm. 344. n. 4. to. 5. (*n*) In Cap. 3. epiſt. ad Galatas n. 18. tom. 3. (*o*) ſerm. 2. in Pſalm. 68. num. 11. to. 4. (*p*) ſerm. 382. cap. 2. n. 2. to. 5. (*q*) Tract. 1. in epiſt. Joannis n. 9. to. 3.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Auguſtino. Omnia Dei præcepta ſint omnibus omnino hominibus aliquomodo poſſibilia?

Videtur quod ex S. Auguſtino. Non omnia Dei præcepta ſint omnibus omnino hominibus poſſibilia: Quod videntur efficere ſubjectæ ſententiæ.

I. LIb. de Grat., & Lib. Arb. cap. 15. n. 31. tom. 10. *Ad hoc valet quod ſcriptum eſt: Si volueris, conſervabis mandata; ut homo qui voluerit, & non potuerit, nondum ſe plene velle cognoſcat; & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata... Tunc enim utile eſt velle, cum poſſumus; & tunc utile eſt poſſe, cum volumus; nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus, volumus; aut ſi quod poſſumus, nolumus.*

II. L. de Grat., & Lib. arb. cap. 17. n. 33. to. 10.: *Qui ergo vult facere Dei mandatum & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam*: *Poterit autem cum magnam habuerit & robuſtam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt, magna caritate fecerunt.*

III. Lib. 2. de Act. cum Felice Manichæo cap. 11. to. 8. ſic eadem confirmat: *Data eſt enim lex ſuperbis hominibus, & viribus ſuis totum tribuentibus, ut cum implere non poſſent legem datam, prævaricatores invenirentur; & facti rei ſub lege, peterent miſericordiam a legis Conditore.*

IV. Serm. 27. in Pſalm. 118. n. 3. tom. 4. ſic Deum alloquitur: *Ita Domine, ita fac miſericors Domine. Impera quod non poſſit impleri.*

V. In Pſal. 121. n. 10. to. 4. hæc ſuadet: *Quiſquis per aliquam neceſſitatem non potuerit implere quod jubet Deus, amet illum qui implet, & in illo implet.*

VE-

Digitized by Google

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum quod ex S. Auguſtino. Omnia Dei præcepta ſunt omnibus omnino hominibus aliquomodo poſſibilia; Hanc autem poteſtatem hominis ad ſervanda divina præcepta idoneam, ſic S. Doctor tuetur.

I. Lib. 2. de Adult. Conjug. cap. 20. n. 21. to. 6. hæc ſcribit de maritis junioribus affirmantibus ſe caſtitatem conjugalem ſervare non poſſe, cum longe abſunt a ſuis uxoribus: *Cum plurimæ pudiciſſime tranſigant, & maxime Syræ, quarum mariti negotiandi quæſtibus occupati, juvenes adoleſcentulas deſerunt, & vix aliquando ſenes ad aniculas revertuntur; eo ipſo evidentius convincuntur non eſſe impoſſibile, quod ſe non poſſe cauſantur. Si enim hoc non poſſet infirmitas hominum, multo minus id poſſet ſexus infirmus fœminarum.*

II. Serm. 9. de 10. Chord. cap. 9. n. 12. to. 5. eadem repetit per hæc verba: *Quicumque non faciebatis hoc bonum caſtitatis, jam facite. Nolite dicere: Non poteſt fieri. Fœdum eſt, Fratres mei, turpe eſt, ut vir dicat non poſse fieri, quod facit fœmina. Scelus eſt, ut vir dicat: Non poſſum. Quod poteſt fœmina, vir non poteſt? Quid enim illa carnem non portat? Prior a ſerpente decepta eſt. Caſtæ uxores veſtræ oſtendunt vobis fieri poſſe, quod non vultis facere, & dicitis fieri non poſſe.*

III. In Pſal. 119. n. 5. to. 4. eadem retundit ſic: *Incipit enim tibi dicere Deus: Tu non potes? Quare ille poteſt? Quare alter potuit? Numquid tu delicatior es illo Senatore? Numquid tu infirmior es illo, aut illo in valetudine? Numquid tu infirmior es fœminis? Fœminæ potuerunt, viri non poſſunt? Delicati divites potuerunt, pauperes non poſſunt?*

Ergo ex S. Auguſtino. Languidæ atque enervatæ ſunt illorum hominum excuſationes, qui affirmant ſe divina mandata quantumvis ardua ſervare non poſſe; ergo ex S. Auguſtino nulla præcepta Dei ſunt ulli hominum prorſus impoſſibilia.

IV. Serm. 54. c. 2. n. 2. to. 5. hæc de Deo vindice aſſerit: *Servum pigrum non damnaret, ſi ea quæ fieri nullo modo poterant, imperaret.*

Digitized by Google

V. L. 2. de Actis cum Felic. Manich. c. 5. to. 8. hæc ſtatuit: *Qui ſervare legem non vult, in poteſtate eſt ejus ſi velit.*

Ergo ex S. Auguſtino. Divinæ legis tranſgreſſor, qui ſervare legem non vult, veram poteſtatem habet ſervandæ legis ſi velit. Neque enim ex S. D. Deus juſtus imperat homini ea, quæ fieri nulla ratione poſſunt ab homine. Quod ſi animo fingamus Deum imperare homini, quæ fieri nequeunt ab homine, otiantem ſervum ab opere præſcripto legis procul dubio Deus non damnaret; ac proinde ex S. Auguſtino nulla præcepta Dei ſunt ulli hominum prorſus impoſſibilia.

VI. L. de duab. Animab. c. 12. n. 17. to. 8. hæc decernit: *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſumme iniquitatis eſt & inſaniæ.*

Sed ſi divina præcepta ſunt alicui hominum prorſus impoſſibilia, peccati reus tenetur quiſpiam, quia non fecit quod facere non potuit; ergo ex S. Aguſtino ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ affirmare, Dei præcepta eſſe alicui hominum prorſus impoſſibilia.

VII. L. de Grat., & Lib. arb. c. 2. n. 3. & 4. to. 10. hæc definit: *Ecce apertiſſime videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri jubet Deus. Quomodo jubet, ſi non eſt liberum arbitrium? .. Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque dum peccat.*

Sed ſi qua Dei præcepta ſunt alicui hominum prorſus impoſſibilia, non eſt liberum humanæ voluntatis arbitrium ad Dei præcepta ſervanda; & qui legem frangit, poteſt cauſari Deum in corde ſuo, neque ſibi imputare cum peccat; Ergo ex S. Auguſtino nulla præcepta Dei ſunt ulli hominum prorſus impoſſibilia.

VIII. L. 2. de Peccat. Merit., & remiſſ. c. 3. n. 3. to. 10. ſic Pelagianos irridet: *Acute ſibi videntur dicere, quaſi noſtrum hoc ullus ignoret: Quod ſi nolumus, non peccamus; nec præciperet Deus homini quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati.*

Ergo ex S. Auguſtino. Certum omnibus atque exploratum eſt, & ipſomet lumine naturæ notum, quod quidquid Deus homi-

Digitized by Google

homini præcipit, non eſt humanæ impoſſibile voluntati; adeoque ex S. Doctore nulla præcepta Dei ſunt ulli hominum prorſus impoſſibilia.

IX. L. 2. de Peccat. merit., & rem. c. 6. n. 7. to. 10. *Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe.*

X. Serm. 32. cap. 9. n. 9. to. 5. *Vocat te Deus, & jubet ut facias, ſed ipſe dat vires, ut quod jubet, impleri poſſit.*

Ergo ex S. Auguſtino. Duo ſunt extra controverſiam poſita, de quibus nullus ſupereſt dubitandi locus. Primum eſt: Deum nihil impoſſibile homini præcepiſſe. Alterum: nullam opem, nullum auxilium, quo fiat quod jubet, Deo impoſſibile eſſe; Quinimo quoties Deus jubet ut aliquid fiat ab homine, ſuppeditantur homini divinitùs vires ut quod Deus jubet implere poſſit; adeoque ex S. Auguſtino nulla præcepta Dei ſunt ulli hominum prorſus impoſſibilia.

Ad primum ergo dicendum quod ex S. Auguſtino. Homo aliquando habet mediatam dumtaxat poteſtatem ad Dei mandata ſervanda, quatenus ſibi præſto eſt ſufficiens dumtaxat auxilium ad orandum, quo ſi bene utatur ut poteſt, certo certius impetrabit voluntatem tantam, quanta ſufficit ad implenda mandata; adeoque eſt in cujuſque manu, ut poteſtas mediata quam habet, conſtituta per gratiam ad orandum, tranſeat in poteſtatem immediatam ſervandi divina mandata, conſtitutam per gratiam ad obediendum. Quod ſatis S. Doctor expreſſit per illa verba: *Oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.*

Ad ſecundum dicendum ſimiliter quod ex S. Auguſtino. Homo quandoque ex defectu voluntatis validæ, atque robuſtæ immediatam poteſtatem non habet ad aliqua præcepta ſervanda: Tunc ipſi orandum eſt, bene utendo auxilio, quod ſemper ad orandum adeſt: Quod ſi perfecerit, proculdubio impetrabit auxilium immediatè ſufficiens ad obtemperandum. Dicit enim lib. de Nat., & Grat. c. 43. n. 5. to. 10. *Deus jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.*

Digitized by Google

Ad tertium dicendum quod ex S. Auguſtino. Ad ſervanda mandata Dei non ſunt ſufficientes naturæ vires; ſed neceſſaria eſt gratia Dei, quæ petentibus ultro conceditur; quod ſatis S. Doctor inſinuat per illa verba loco citato: *Ut facti rei ſub lege peterent miſericordiam à legis Conditore.*

Ad quartum dicendum quod ex S. Auguſtino. Deus imperat quod non poteſt impleri viribus naturæ ſibi relictis, ſed auxilio divinæ gratiæ, quod opportuno tempore ſemper adeſt, vel ad obtemperandum, vel ſaltem ad orandum prout oportet pro impetrando auxilio neceſſario ad obtemperandum; Ita enim proſequitur S. Doctor loco ſupracitato: *Imo impera quod non niſi per tuam gratiam poſſit impleri, ut cum homines per ſuas vires id implere nequiverint, omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus videatur.* Agit enim hic S. Doctor adverſus ſuperbos Pelagianos jactantes ſe non indigere divina gratia ad Dei præcepta ſervanda; ſed poſſe id præſtare viribus duntaxat ſuis, ut teſtatur S. Doctor ad Aſellic. epiſt. 196. c. 1. n. 4. to. 2. ſic: *Cum ſint Pelagiani carnales, putant ſuis viribus legem ſpiritalem ſe poſſe complere*: Et ad Hilarium epiſt. 157. c. 2. n. 4. to. 2. *Illud vero quod Pelagiani dicunt ſufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamſi Dei gratia & Spiritus Sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omnino anathematizandum eſt, & omnibus execrationibus deteſtandum.* Et L. de Hæreſ. ad Quodvultdeum hæreſi 88. to. 8. *Pelagianorum eſt hæreſis hoc tempore recentiſſima à Pelagio Monacho exorta, quem magiſtrum ſic Cæleſtius ſecutus eſt, ut ſectatores etiam Cæleſtiani nuncupentur. Hi Dei gratiæ... in tantùm inimici ſunt, ut ſine hac poſſe hominem credant facere omnia divina mandata.*

Ad quintum dicendum S. Auguſtinum loco citato agere de præcepto pudicitiæ virginalis obligante cælibes, non autem conjuges; ſic enim proſequitur: *Intendat caritas veſtra. Uxorem quis habet quam dimittere non poteſt, venit in mentem quia melior eſt illa vita, de qua dicit Apoſtolus: Vellem omnes eſſe ſicut meipſum, attendit eos qui hoc fecerunt; amat eos, & in ipſis implet quod in ſe non poteſt.*

CON-

Digitized by Google

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Evidentius convincuntur homines, non eſſe impoſſibile, quod ſe non poſſe cauſantur.* (b) *Quare nolite dicere: non poteſt fieri; Fœdum eſt, turpe eſt, ut vir dicat non poſſe fieri quod facit fœmina: Scelus eſt, ut vir dicat; Non poſſum: Caſtæ uxores veſtræ oſtendunt vobis fieri poſſe, quod non vultis facere, & dicitis fieri non poſſe.* (c) *Quin Deus ipſe incipit tibi dicere. Tu non potes? Quare ille poteſt? Quare alter potuit? Fœminæ potuerunt, viri non poſſunt? Delicati divites potuerunt, pauperes non poſſunt?* (d) *Concludendum eſt igitur, quod ſervum pigrum non damnaret Deus, ſi ea, quæ fieri nullo modo poterant, imperaret.* (e) *Nam peccati reum tenere quemquam, qui non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ:* (f) *Qui enim ſervare legem non vult, in poteſtate eſt ejus, ſi velit.* (g) *Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, ſi ad eadem implenda non eſt liberum arbitrium? Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque, dum peccat.* (h) *Quis enim noſtrum ignoret, quod ſi nolumus non peccamus. Nec præciperet Deus homini, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati?* (i) *Quare dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum quo fiat quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe.* (*k*) *Vocat quidem te Deus, & jubet ut facias; ſed ipſe dat vires, ut quod jubet, impleri poſſit:* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) L. 2. de Adult. Conjug. cap. 20. n. 21. tom. 6. (*b*) Serm. 9. de Decem Chordi cap. 9. n. 9. tom. 5. (*c*) In Pſalm. 119. n. 5. to. 4. (*d*) Serm. 54. cap. 2. n. 2. to. 5. (*e*) L. de duab. Animab. cap. 12. n. 17. to. 8. (*f*) L. 2. de act. cum Fœlic. Manich. c. 5. to. 8. (*g*) Lib. de Grat. & Lib. arbitr. cap. 2. n. 3., & 4. to. 10. (*h*) Lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 3. n. 3. to. 10. (*i*) Lib. 2. de peccat. merit., & remiſſ. cap. 6. num. 7. to. 10. (*k*) Serm. 32. cap. 9. n. 9. to. 5.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

Utrum ex S. Auguſtino. Præſto ſit omnibus Gratia ſufficiens, qua Dei præcepta fiant omnibus aliquomodo poſſibilia?

Videtur quod ex S. Auguſtino. Non præſto ſit omnibus gratia ſufficiens, qua Dei præcepta fiant illis aliquomodo poſſibilia. Siquidem

I. Lib. de Perf. Juſtit. contra Cæleſt. cap. 19. n. 41. to. 10. hæc habet: *Aut quia dictum eſt. Si voles, præcepta ſervabunt te: quaſi non debeat Deo gratias agere, quia præcepta voluit, qui deſertus omni lumine veritatis, hæc velle non poſſet.*

II. L. 6. operis Imperf. n. 41. to. 10. *Lex Dei apud eos, quos non adjuvat gratia Dei, per Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi, non correctio peccantis, ſed virtus potius eſt dicta peccati.*

III. In Pſalm. 118. ſerm. 5. num. 3. to. 4. hæc ſtatuit: *Mandatis quippe ejus rectis & arduis humana non contemperatur infirmitas, niſi præveniens ejus adjuvet caritas. Quos autem non adjuvat, hos merito perhibetur repellere.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum quod ex S. Auguſtino. Præſto eſt omnibus gratia ſufficiens, qua Dei præcepta fiant omnibus aliquomodo poſſibilia. Adjumentum enim ſufficientis gratiæ ad ſervanda Divina præcepta opportunum, ſic diſertiſſime ſanctus Doctor propugnat.

I. In Pſal. 40. n. 4. to. 4. Infideles cauſantes ſummam difficultatem adimplendi Chriſtianam legem, ſic adhortatur: *Magna lex eſt chriſtiana, potens illa lex divina, ineffabilis; ſed quis eam implet?... Veniant ad Fidem qui dubitabant; non dicant, quis hoc implet? Si de viribus ſuis præſumunt, non imple-*

implebunt. Præſumendo de gratia Dei credant, præſumendo veniant, adjuvandi veniant, non judicandi.

II. In Pſal. 56. n. 1. to. 4. hæc habet de præcepto profundendi pro Chriſto vitam, quando opus fuerit: *Neque imperaret hoc Deus ut faceremus, ſi impoſſibile judicaret ut hoc ab homine fieret. Sed conſiderans infirmitatem tuam, deficis ſub præcepto? Confortare in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum eſt? Adeſt ille qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.*

Ergo ex S. Auguſtino. Et infideles habent gratiam quâ poſſunt venire ad fidem, cujus fidei merito accepturi ſunt ſubſequentes gratias, quibus ſervare poterunt Chriſtiana præcepta, quantumvis ardua. Et fideles certiſſime accipiunt divinitûs gratiam ad implendum heroicum illud præceptum profundendi pro Chriſto vitam, quando opus fuerit; ac proinde ex S. Auguſtino nulli deeſt gratia, quâ Dei præcepta fiant omnibus aliquomodo poſſibilia.

III. Lib. de Nat., & Grat. cap. 43. n. 50. to. 10. hæc definit: *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.*

Ergo ex S. Auguſtino. Omnibus præſto eſt gratia vel ad Dei præceptum implendum, vel ad orandum pro impetranda gratia ad Dei præceptum implendum.

IV. Lib. de Nat., & Grat. cap. 69. n. 83. to. 10. hæc ſtatuit: *Eo ipſo quo firmiſſime creditur, Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

Ergo ex S. Auguſtino. Omnibus adeſt gratia, vel ad orandum in difficilibus, vel ad implendum in facilibus Dei præceptis. Nullum autem Dei præceptum eſt hominibus impoſſibile. Quod apud S. D. eſt firmiſſimum dogma Fidei.

V. Lib. de Grat., & Lib. arb. cap. 16. n. 32. to. 10.: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt. Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus;*

Ergo

Digitized by Google

Ergo ex S. Auguſtino. Nulli Deus denegat gratiam ad orandum pro impetranda poteſtate immediata implendi ea præcepta, quæ infirmitate noſtra implere non poſſumus.

VI. Lib. 3. operis imperf. num. 76. to. 10. ſic alloquitur Pelagianos: *Præceptum Dei tyrannicum non eſt, ſed ut impleatur ille rogandus eſt. Hoc vos non vultis, quia in virtute veſtra confiditis.*

Ergo ex S. Auguſtino. Si alicui Deus denegaret gratiam ad orandum pro impetranda gratia, quâ Dei præceptum fieret ſibi poſſibile, tyrannicum eſſet præceptum Dei.

VII. Lib. 2. contr. Maxim. Epiſcop. Arian. cap. 14. n. 9. to. 8.: *Præceptum vero id nobiſcum agit, ut quod jam eſt in poteſtate faciamus; Si autem nondum eſt in poteſtate, oremus nobis poteſtatem dari, ut quod præceptum eſt, impleamus.*

Ergo ex S. Auguſtino. Quodlibet Dei præceptum vel eſt in poteſtate noſtra immediata, vel eſt in poteſtate noſtra mediata, media videlicet poteſtate ad orandum pro impetranda immediata poteſtate ad implendum; ac proinde ex S. Auguſtino præſto ſemper eſt gratia, quâ Dei præcepta vel mediate, vel immediate nobis fiant poſſibilia.

VIII. Tract. 53. in Joan. n. 8. to. 3. hæc admonet. *Audiamus Dominum & præcipientem, & opitulantem; & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere poſſimus.*

Ergo ex S. Auguſtino. Deus præcepto obedientiæ ſemper adjungit auxilium gratiæ quo implere poſſimus, quod præcipit.

IX. Lib. 1. Retract. cap. 10. n. 2. to. 1. ſic explicat adverſus Pelagianos, quod docuit lib. de Geneſ. ad Lit. contra Manich.: *Quod vero dixi: Illud autem lumen non irrationabilium avium oculos paſcit; ſed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium, ſe ad ejus præcepta implenda convertunt, quod omnes homines poſſunt ſi velint. Non exiſtiment novi hæretici Pelagiani ſecundum eos dictum: Verum eſt enim omnino omnes homines hoc poſſe ſi velint; ſed præparatur voluntas a Domino.*

Ergo

Ergo ex S. Auguſtino. Verum omnino eſt omnes homines implere poſſe præcepta Dei ſi velint; & ad hunc finem Deum gratia ſua præparare omnium hominum voluntatem.

X. Lib. de Gat. & Lib. Arb. cap. 4. n. 8., & 9. to. 10. ſic adoritur hominem negantem ſe poſſe ſervare præcepta Dei: *Si dixerit: Volo ſervare, ſed vincor a concupiſcentia mea: reſpondet ſcriptura libero ejus arbitrio, quod jam ſuperius dixi. Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum, quod tamen ut fiat, adjuvat gratiâ.... Et cum voluntas ejus convenitur, & dicitur. Noli vinci a malo, quid ei prodeſt, niſi gratia ſuccurrente fiat?... Homo ergo gratia juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur.*

Ergo ex S. Auguſtino. Gratia adjuvat omnes homines ad ſervanda præcepta Dei, peccantes etiam, & concupiſcentiæ cedentes. Quod ſi ad divina præcepta ſervanda neceſſaria gratia deficeret, ſine cauſa, improvide videlicet atque imprudenter, voluntati hominis juberetur.

XI. Lib. 3. oper. Imperf. n. 115. to. 10. ſic Julianum Pelagianum adoritur affirmantem poſſe hominem, abſque ope divinæ gratiæ, Dei præcepta ſervare. *Non eſt verum quod dicis. Hæc imperat Deus, quæ fieri poſſunt; ſed ipſe dedit, ut faciant eis, qui facere poſſunt, & faciunt; & eos, qui non poſſunt, imperando admonet a ſe petere, ut poſſint.*

Ergo ex S. Auguſtino. Qui præcepta Dei non faciunt, nec immediate poſſunt ex defectu gratiæ ad obediendum, quâ immediate poſſint, gratiam habent ad orandum pro impetranda poteſtate immediata ad obediendum, & hac orationis congruæ gratia mediatè poſſunt obtemperare præceptis.

XII. Lib. 4. oper. Imperf. n. 129. to. 10. ſic iterum contra naturalem poſſibilitatem ſervanda divina præcepta a Juliano acriter propugnatam: *Hominibus natura filiis iræ propterea dantur præcepta vivendi, quia datur & gratia, ut qui jubet juvet; ac ſic mala non ſolum quæ voluntate ſunt addita, verum etiam quæ ſunt congenerata, vincantur. Quod enim hominibus impoſſibile eſt, Deo facile eſt.*

Ergo ex S. Auguſtino. Si hominibus natura filiis iræ non dare-

daretur gratia, quâ qui jubet, ſimul etiam mediate, vel immediate juvet ad ſervanda præcepta vivendi, non darentur illis præcepta vivendi; ſed omnibus omnimo hominibus natura filiis iræ dantur naturalia, vel etiam legalia præcepta vivendi; Ergo ex S. Auguſtino omnibus omnino hominibus natura filiis iræ datur gratia, quâ qui jubet ſimul etiam mediate, vel immediate juvet ad ſervanda præcepta vivendi.

XIII. Lib. de Grat., & Lib. arb. cap. 18. n. 37. to. 10. *Præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum, quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur, impleret.*

Ergo ex S. Auguſtino. Urgente Dei præcepto, accipitur ſimul ab homine aliquid dilectionis & gratiæ, ad orandum videlicet, & quærendum pro uberiori gratia immediate neceſſaria ad obtemperandum. Aliter enim ex S. D. inutile prorſus eſſet, vanumque præceptum.

XIV. Lib. de Nat., & Grat. cap. 15. n. 16. to. 10. hæc decernit: *Præcepto facere commonemur, quod conantes, & noſtris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.*

Ergo ex S. Auguſtino. Præſto eſt omnibus adjutorium divinum ad orandum, cujus beneficio orationis acquiritur procul dubio divinum adjutorium ad obtemperandum præceptis, quæ ſolis naturæ viribus impleri non poſſunt.

XV. Lib. de Perf. Juſt. contra Cæleſt. cap. 3. n. 6. to. 10. ſic diſſerit: *Conſultiſſime homini præcipi, ut rectis paſſibus ambulet, ut cum ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad ſanandam peccati claudicationem, gratia Dei eſt per Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum.*

Ergo ex S. Auguſtino. Nulli deeſt orationis gratia ad requirendam medicinam contra peccati claudicationem, ut rectis paſſibus viam mandatorum Dei poſſit percurrere.

XVI. Lib. de Grat., & Lib. arb. cap. 16. n. 32. to. 10. *Certum eſt enim nos mandata ſervare, ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantùm velimus, quantùm ſufficit, ut volendo faciamus.*

Ergo

Digitized by Google

Ergo ex S. Auguſtino. Præſto eſt omnibus gratia neceſſaria & ſufficiens ad petendum, ut tanta efficacitate velimus, quanta ſufficit, ut volendo Dei mandata faciamus.

XVII. Lib. 1. Oper. Imperf. n. 93. to. 10. hæc ſuadet. *Convenit autem Scriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet, vel non poteſt, admonitus ſentiat, & ab eo, a quo ſunt bona omnia, indigens poſcat.*

Ergo ex S. Auguſtino. Indiget homo gratia ad implenda mandata Dei, quam poſcendo impetrat; ac proinde gratiam ſemper habet ad poſtulandum, & hæc orationis gratia eſt mediata poteſtas ad obediendum.

Ad primum ergo dicendum quod ex S. Auguſtino loco citato. Eſt neceſſaria Dei gratia ad præcepta ſervanda, quod negabat Cæleſtius Pelagianus affirmans, poſſe hominem ſuis dumtaxat viribus Dei præcepta ſervare, quin indigeat auxilio divinæ gratiæ; ac proinde non debere Deo gratias agere, quod præcepta ſervaverit. Quare non docet hic, neque alibi S. Doctor, quod homo eſt deſertus omni lumine veritatis, & hac de cauſa præcepta Dei velle non poteſt; ſed docet quod ſi homo eſſet deſertus omni lumine veritatis, præcepta Dei velle non poſſet. Primum probaret, ſed ex Janſenio contra Auguſtinum. Deeſſe prorſus neceſſariam gratiam ad ſervanda præcepta. Secundum probat ex Auguſtino contra Cæleſtium. Neceſſariam prorſus eſſe gratiam ad ſervanda præcepta.

Ad ſecundum dicendum quod ex ſancto Auguſtino. Lex Dei, ſejuncta a gratia efficaci effective adjuvante, non eſt correctio peccantis, ſed potius peccati virtus. At licet aliquando ad mandata ſervanda deficiat gratia efficax & effectivè adjuvans, nunquam ad legem ſervandam deficit ex S. Doctore gratia ſaltem mediate ſufficiens, & affective adjuvans. Dicit enim lib. de Grat., & Lib. arb. cap. 4. n. 9. to. 10. *Homo ergo gratia juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur.*

Ad tertium eadem eſt adhibenda reſponſio: Sic enim nos admonet S. Doctor Tract. 53. in Joannem n. 8. to. 3. *Audiamus Dominum & præcipientem, & opitulantem; & jubentem, quid facere debeamus, & adjuvantem, ut implere poſſimus.*

Digitized by Google

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Veniant infideles ad fidem, qui dubitabant. Non dicant: quis legem chriſtianam implet? Præſumendo de gratia Dei credant, præſumendo veniant: Adjuvandi veniant.* (b) *Neque mortem ſubire pro amicis imperaret Deus, ſi impoſſibile judicaret, ut hoc ab homine fieret. Adeſt enim ille qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* (c) *Non enim Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* (d) *Eo enim ipſo quo firmiſſimè credimus Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere; hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* (e) *Quis enim neſciat quod non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri? Sed ideo jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* (f) *Quare præceptum Dei tyrannicum non eſt; ſed ut impleatur ille rogandus eſt.* (g) *Præceptum enim id nobiſcum agit, ut quod jam eſt in poteſtate faciamus; Si autem nondum eſt in poteſtate, oremus nobis poteſtatem dari, ut quod præceptum eſt impleamus.* (h) *Audiamus ergo Dominum & præcipientem, & opitulantem; & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere poſſimus.* (i) *Verum eſt enim omnino omnes homines poſſe implere præcepta ſi velint; ſed præparatur voluntas a Domino.* (*k*) *Homo ergo gratia juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur.* (l) *Deus enim dat, ut faciant præcepta ſua eis, qui facere poſſunt & faciunt; & eos qui non poſſunt, imperando admonet a ſe poſcere ut poſſint.* (m) *Siquidem hominibus natura filiis iræ propterea dantur præcepta vivendi, quia datur & gratia, ut qui jubet, juvet.* (n) *Aliter ſine ſuo fructu prorſus admoneretur liberum hominis arbitrium, niſi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi ſibi quæreret, unde quod jubebatur impleret.* (o) *Præcepto autem facere commonemur, quod conantes, & noſtris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.* (p) *Conſultiſſime igitur homini præcipitur ut rectis paſſibus ambulet, ut cum ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requi-*

Digitized by Google

requirat, quæ gratia Dei eſt. (q) *Certum eſt ergo nos mandata ſervare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantùm velimus, quantùm ſufficit ut volendo faciamus.* (r) *Convenit enim ſcriptura plerumque hominis voluntatem, ut quod non habet, vel non poteſt, admonitus ſentiat, & ab eo a quo ſunt bona omnia, indigens poſcat.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) In Pſal.40. num.4. to. 4. (*b*) In Pſal.56. num.1. to. 4. (*c*) Lib. de Nat., & Grat. cap. 43. num. 50. to. 10. (*d*) Lib. de Nat. & Grat. cap.69. num.83. to.10. (*e*) Lib.de Grat. & Lib. Arb.c.16. num. 32. to. 10 (*f*) Lib.3. Oper. Imperf. num. 76. to. 10. (*g*) Lib. 2. contr. Maxim. Epiſc. Arian. cap.14. num. 9. to. 8. (*h*) Tract. 53. in Joan. num. 8. to. 3. (*i*) Lib.1. Retract. c. 10. n. 2. to. 1. (*k*) Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 4. n. 8., & 9. to. 10 (*l*) Lib. 3. Oper. Imperf. n. 115. to. 10. (*m*) Lib. 4. Oper. Imperf. n. 129. to.10. (*n*) Lib. de Grat. & Lib. arb. cap.18. n.37. to.10. (*o*) Lib. de Nat. & Grat. cap.15. n.16. to. 10. (*p*) Lib. de Perf. Juſt. contr. Cæleſt. cap. 3. num. 6. to. 10. (*q*) Lib. de Grat., & Lib. Arb. cap. 16. num. 32. to. 10. (*r*) Lib. 1. Oper. Imperf. num. 93. tom. 10.

ARTICULUS V.

Utrum ex S. Auguſtino Gratia ſufficiens detur omnibus hominibus ratione utentibus?

Videtur, quod ex S. Auguſtino Gratia ſufficiens non detur omnibus hominibus ratione utentibus; Quandoquidem

Lib. 1. de Peccator. merit. & remiſs. cap. 25. num. 37. to. 10. hæc habet: *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ideo dictum eſt, quia nullus hominum illuminatur, niſi illo lumine veritatis, quod Deus eſt.* Et in Enchir. cap. 103. num. 27. to.6. *Sic enim intelligimus id, & quod in Evangelia ſcriptum eſt: Qui illu-*

Digitized by Google

minat omnem hominem : *Non quia nullus eſt hominum, qui non illuminetur; ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur.*

II. Epiſt. ad Vital. 217. cap. 5. num. 16. to. 2. hæc docet circa Dei gratiam : *Scimus non omnibus hominibus dari... Scimus eis quibus non datur, juſto judicio Dei non dari.*

III. Serm. 26. cap. 4. num. 4. to. 5. inquit : *Communis eſt omnibus natura, non gratia.*

IV. Lib. de Don. Perſev. cap. 8. num. 16. to. 10. ita diſputat cum Pelagianis : *Sed cur, inquit, gratia Dei non ſecundum merita hominum datur? Reſpondeo: Quoniam Deus miſericos eſt. Cur ergo, iniquit, non omnibus? Et hic reſpondeo: Quoniam Deus judex eſt.*

V. Lib. de Correp. & Grat. cap. 11. num. 32. to. 10. hæc ſtatuit de adjutorio neceſſario, & ſufficienti : *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: Quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum.*

VI. Lib. 5. ſupra Deuter. quæſ. 50. to. 3. *Simul enim oſtendit, & ſine adjutorio Domini Dei eos intelligere, & obedire non poſſe oculis cordis, & auribus cordis. Et tamen ſi adjutorium Dei deſit, non ideo eſſe excuſabile hominis vitium; quoniam judicia Dei quamvis occulta, tamen juſta ſunt.*

VII. Ad Hier. epiſt. 82. cap. 2. n. 20. to. 2. *Illud quod lex ait: Non concupiſces: ſi humana infirmitas gratia Dei adjuta non fuerit, ſub ſe reum tenet, & prævaricatorem potius damnat, quam liberat peccatorem.*

VIII. Lib. de Præd. SS. cap. 6. num. 11. to. 10. *Multi audiunt verbum veritatis, ſed alii credunt, alii contradicunt. Volunt ergo iſti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cum aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino, diſcernendum eſt utique quid veniat de miſericordia ejus, quid de judicio.*

IX. Lib. 4. Oper. Imperf. num. 129. to. 10. *Quibus autem non datur Dei gratia, propter quam dictum eſt: Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Prævaricatores ſunt, accedente lege, non juſti.*

X. Lib. 15. contrà Fauſt. cap. 8. to. 8. ita concludit; *Ergo lex*

lex ſemper eſt bona, ſive obſit inanibus gratia, ſive proſit plenis gratia, ſemper eſt bona.

XI. Tract. 3. in epiſt. 1. Joan. n. 13. tom. 3. *Ubi illius inſpiratio, & unctio illius non eſt, forinſecùs inaniter perſtrepunt verba.*

XII. Lib. 2. de Serm. Domini in Monte c. 9. n. 30. to. 3. ita diſſerrit de tentatione in quam inducimur: *Non enim per ſeipſum inducit Deus, ſed induci patitur eum, quem ſuo auxilio deſeruerit, ordine occultiſſimo ac meritis. Cauſis etiam ſæpe manifeſtis dignum judicat illum, quem deſerat, & in tentationem induci ſinat.*

XIII. Serm. 147. cap. 3. n. 3. to. 5. hæc affirmat de lapſu Petri: *Quando voluit Dominus Jeſus Chriſtus deſervit Petrum; & inventus eſt homo Petrus.* Et rurſus tract. 92. in Joan. n. 2. to. 3. *Dabit vobis fiduciam teſtimonium perhibendi caritas Dei diffuſa in cordibus veſtris per Spiritum Sanctum, qui dabitur vobis: Quæ utique* Caritas *Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus non potuit verum teſtimonium perhibere; ſed contra ſuam pollicitationem, timore magno, compulſus eſt ter negare. Timor autem iſte non eſt in caritate; ſed perfecta caritas foras mittit timorem.* Et iterum tract. 93. in Joan. n. 1. to. 3. *Prius enim exemplo fuerat edoctus* Petrus, *ut quod fieri convenerat, noſſet; ſed nondum fuerat virtute fultus, ut quod noverat, faceret. Inſtructus erat, ut ſtaret; ſed non erat firmatus, ne caderet. Quod poſteaquam per Spiritum Sanctum factum eſt, annuntiavit uſque ad mortem, quem negaverat timens mortem.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino gratia ſufficiens datur omnibus hominibus ratione utentibus. Hanc fuiſſe S. Doctoris ſententiam recitanda ejuſdem mox teſtimonia ſic palam faciunt.

I. Lib. 1. retract. cap. 10. n. 2. tom. 1. adversùs Pelagianos confirmat, quod lib. 1. de Gen. contrà Manich. cap. 3. num. 6. to. 1. docuerat his verbis: *Quod vero dixi: Illud autem lumen non irrationabilium avium oculos paſcit; ſed pura corda eorum,*

qui

Digitized by Google

qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt, quod omnes homines poſſunt ſi velint, non exiſtiment novi hæretici Pelagiani ſecundum eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino omnes homines hoc poſſe ſi velint; ſed præparatur voluntas a Domino, & tantùm augetur munere caritatis, ut poſſint;

Ergo ex S. Auguſtino munere divinæ gratiæ, non viribus ſolius naturæ, ut Pelagiani affirmabant, omnes omnino homines ratione utentes implere poſſunt præcepta Dei ſi velint: cum autem gratia, per quam omnes omnino homines ratione utentes implere poſſunt præcepta Dei ſi velint, non ſit niſi gratia ſufficiens, conſequitur, quod ex S. Auguſtino gratia ſufficiens datur omnibus prorſus hominibus ratione utentibus.

II. Lib. 19. contra Fauſt. cap. 22. to. 8. *Neque enim lumen illud mentium ab iſtis oculis penitus alienum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, noſtis aliqua ex parte cogitare.*

Jam vero: Interior mentis illuminatio a corporeis oculis prorſus aliena, quâ Deus omnem hominem venientem in hunc mundum univerſim illuminat, non eſt niſi gratia ſufficiens; Quamobrem ex S. Auguſtino gratia ſufficiens datur omnibus prorſus hominibus ratione utentibus.

III. Lib. 2. contra epiſt. Parmen. cap. 14. n. 32. tom. 9. hæc affirmat: *Si omnem hominem illud lumen illuminat, nullum relinquit, quem Parmenianus illuminare ſe dicat;*

Ergo ex S. Auguſtino ideo nullum prorſus hominem poteſt hæreticus illuminare, quia omnem prorſus hominem illuminat Deus; quare ex S. Auguſtino gratia ſufficiens, quæ eſt hujuſmodi illuminatio, datur omnibus prorſus hominibus ratione utentibus.

IV. Serm. 78. n. 2. to. 5. hæc aſſerit: *Ipſe Jeſus quidem, ipſe ſplenduit ſicut ſol, ſe lumen eſſe ſignificans, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod eſt iſte ſol oculis carnis, hoc ille cordibus;*

Ergo ex S. Auguſtino, quod præſtat oculis carnis ſidus naturæ ſol, præſtat oculis cordis Jeſus ſol gratiæ; ſed ſidus naturæ ſol omnes

nes omnino homines utentes oculis carnis illuminat; ergo ex S. Auguſtino Jeſus ſol gratiæ omnes omnino homines oculis cordis, hoc eſt, ratione utentes illuminat; ac proinde gratia ſufficiens datur omnibus prorſus hominibus ratione utentibus.

V. Tract. 14. in Joann. n. 2. to. 3. ita ratiocinatur. *Erat lumen verum, ait Evangeliſta, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Si ergo omnem hominem, & ipſum Joannem, quia & ipſe de hominibus. Etenim quamvis nemo exſurrexerit major Joanne in natis mulierum, unus tamen & ipſe ex his, qui nati ſunt ex mulieribus.*

Ergo ex S. Auguſtino. Ideo conſtat Jeſum gratia ſua illuminaſſe Joannem, quia Joannes unus erat ex hominibus, unus ex his, qui nati ſunt ex mulieribus; Sed omnis homo ratione utens unus eſt ex hominibus, unus ex his, qui nati ſunt ex mulieribus; Ergo ex S. Auguſtino conſtat Jeſum gratia ſua illuminare omnem hominem ratione utentem. Cum autem gratia efficax omni prorſus homini non ſit communis; conſequitur: Jeſum gratiâ ſuâ ſufficienti illuminare omnem hominem ratione utentem.

VI. ſerm. 88. cap. 17. n. 18. to. 5.. *Solus ille non vocatur a Domino, qui non laborat in hoc ſæculo: ſed quis in hac vita non laborat in peccatis, & iniquitatibus ſuis? Si autem omnes laborant, omnibus dictum eſt: Venite ad me omnes, qui laboratis: ſi autem omnibus dictum eſt. Quare culpam tuam tribuis invitatori tuo?*

Ergo ex S. Auguſtino. Deus vocat, & invitat ad ſe omnes qui in hac vita laborant in peccatis, & iniquitatibus ſuis; ſed ex eodem: omnes omnino homines ratione utentes in hac vita laborant in peccatis, & iniquitatibus ſuis; ergo ex S. Auguſtino vocat, & invitat ad ſe omnes homines ratione utentes; ſed hujuſmodi invitatio & vocatio Dei ad omnes pertinens non eſt niſi gratia ſufficiens; ergo ex S. Auguſtino Deus gratiam ſuam ſufficientem largitur omnibus prorſus hominibus ratione utentibus.

VII. Enar. 1. in Pſal. 18. n. 7. to. 4. hæc ſtatuit. *Cum Verbum*

Digitized by Google

bum etiam caro factum eſt, & habitavit in nobis, mortalitatem noſtram ſuſcipiens, non permiſit ullum mortalium ſe excuſare de umbra mortis, & ipſam enim penetravit Verbi calor.

Ergo ex S. Auguſtino. Si nullus mortalium poteſt ſe excuſare de umbra mortis, hoc eſt, de peccato, quia Verbi calor & umbram hanc penetravit, omnes mortales habent ſufficientem gratiam, quâ mortis umbram, ideſt, peccatum poſſunt declinare ſi velint.

VIII. In Pſal. 49. n. 3. to. 4. ita ſermocinatur. *Ipſe tamen ſonat ubique, tangendo, modificando, inſpirando. Videte quid egerit. Locutus eſt enim, & vocavit terram... a ſolis ortu uſque ad occaſum nullas relinquens partes, quas non vocavit.... Qui terram vocavit, & totam terram vocavit. Qui terram vocavit, tantam vocavit, quantam fabricavit.*

Ergo ex S. Auguſtino. Deus ubique ſonat, tangit, modificat, inſpirat. Totam terram vocavit: tantam vocavit, quantam fabricavit, nullas relinquens partes a ſolis ortu uſque ad occaſum, quas non vocaverit; Ergo ex S. Auguſtino. Omnibus prorſus hominibus ratione utentibus gratiam ſufficientem largitur Deus.

IX. In Pſal. 102. n. 16. to. 4. ſic eadem aliter repetit. *Vocat ubique ad correctionem, vocat ubique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per miſericordiam conſolationis, longanimis & multum miſericordiæ; ſed obſerva, ne multitudine miſericordæ Dei male utendo, tu tibi theſaurizes, quod ait Apoſtolus, iram in die iræ.*

Ergo ex S. Auguſtino. Deus per intimam cogitationem omnes homines vocat undique ad pœnitentiam, etiam illos qui male utendo Dei vocantis miſericordia theſaurizant ſibi iram in die iræ; ac proinde omnibus prorſus hominibus ratione utentibus gratiam ſufficientem ſuppeditat.

X. In Pſal. 39. n. 26. to. 4.. *Sive ergo peccator ſit, laudetur qui ad indulgentiam vocat; ſive quis jam ambulet in via juſtitiæ, laudetur qui ad coronam vocat.*

Ergo

Digitized by Google

Ergo ex S. Auguſt. Omnes omninò homines vocat Deus, peccatores ad indulgentiam, juſtos ad coronam, cujus vocatio profectò gratia ſufficiens eſt.

XI. Enar. 2. in Pſal. 32. n. 11. to. 4. hæc iterum docet. *Miſeretur, conſiderat imaginem ſuam, fragilitatem noſtram, errorem noſtrum, cæcitatem noſtram, & vocat. Et converſis ad ſe donat peccata; non converſis, non donat.*

Ergo ex S. Auguſtino. Deus propter motivum commune omnibus, videlicet, imaginis ſuæ, fragilitatis, erroris, & cæcitatis noſtræ, omnes univerſim gratia ſua ſufficienti vocat; tum eos qui convertuntur, quibus peccata donat; tum eos qui non convertuntur, quibus peccata non donat.

XII. Lib. 1. de Peccat. merit., & remiſs. cap. 25. num. 37. to. 10. hæc definit. *Audit quippe homo dicentem, vel hominem, vel Angelum; ſed ut ſentiat vel cognoſcat verum eſſe, quod dicitur, illo lumine intus mens ejus adſpergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet; ſed ſicut ſol iſte a cæcis, quamvis eos ſuis radiis quodammodo veſtiat, ſic ab ſtultitiæ tenebris non comprehenditur.*

Ergo ex S. Auguſtino. Interior lux Dei perfundit mentem cujuslibet hominis, quamvis peccator fuerit: ſicut exterior lux ſolis perfundit oculos cujuslibet hominis, etiamſi cæcus fuerit; ac proinde ex S. Auguſtino gratia ſufficiens, quæ eſt interior lux Dei, datur omnibus hominibus ratione utentibus.

XIII. In Pſal. 7. n. 12. to. 4. hæc teſtatur. *Ipſe longanimis, qui etiam ipſos, qui perſecuti ſunt, non ſtatim poſt reſurrectionem ad ſupplicium rapuit; ſed ſuſtinuit ut ſe aliquando ad ſalutem ab illa impietate converterent, & adhuc ſuſtinet ſervans ultimo judicio ultimam pœnam, & nunc uſque peccatores invitans ad pœnitentiam.*

Ergo ex S. S. Auguſtino. Deus ſuſtinet peccatores ultimo judicio damnandos, ut ſe ad ſalutem convertant, invitans illos ad pœnitentiam; ac proinde ex S. Auguſtino gratiam ſuam ſufficientem omnibus impertitur.

XIV. Serm. 149. c. 17. n. 18. to. 5. hæc inquit. *Deus ipſe qui novit, qui ſint in peccatis perſeveraturi, qui relicturi ju-*

ſtitiam, & irrevocabiliter ad iniquitatem lapſuri, tamen facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos, & malos; & pluit ſuper juſtos, & injuſtos, invitans utique ad pœnitentiam per patientiam, ut qui neglexerint ejus bonitatem, experiantur in fine ſeveritatem.

Ergo ex S. Auguſtino. Deus gratiæ ſuæ ſolem oriri facit ſuper bonos & malos, & gratia ſua pluit ſuper juſtos & injuſtos, invitans utique ad pœnitentiam etiam reprobos in extremo mundi die damnandos; adeoque ex S. Auguſtino omnibus prorſus gratiam ſufficientem largitur.

XV. Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. n. 13. to. 6. *Igitur non volentis, neque currentis; ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem pervenit, ſed quia talis fuit, quâ moveri non poſſent, nec eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi.*

Ergo ex S. Auguſtino. Vocatio Dei, quæ gratia ſufficiens eſt, pervenit tum ad electos, tum ad non electos; ac proinde pervenit ad omnes homines ratione utentes. Quod autem gratia ſufficiens, quæ ad non electos pervenit, ab Auguſtino dicatur vocatio qua reprobi moveri non poſſunt, nec eam capere apti ſunt, id in ſenſu catholico intelligas, videlicet, de impotentia dumtaxat conſequenti, & in ſenſu compoſito præviſæ incogruitatis, juxta illud Auguſtinianum loco citato. *Cujus Deus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.*

XVI. Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. n. 60. to. 10. *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur ut perſuadeatur; illi autem non ita? Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo divitiarum! Et: nunquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptiores.*

Ergo ex S. Auguſtino. Interior ſuaſio Dei, quæ gratia ſufficiens eſt, omnibus communis eſt, & conſentientibus quibus ita ſuadetur, ut perſuadeatur; & diſſentientibus quibus non ita

Digitized by Google

ita ſuadetur, ut perſuadeatur; ac proinde gratia ſufficiens ex S. Auguſtino datur omnibus ratione utentibus.

XVII. Lib. 83. Quæſt. qu. 68. n. 5. to. 6. hæc ita luculenter pertractat. *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire poſſent niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt. Nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi; quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritun, voluntatem operatur. Propterea & ſi quiſquam ſibi tribuit, quod venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere quod vocatus eſt. Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur; ſic inchoat meritum ſupplicii, cum vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa: miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Ad miſericordiam pertinet vocatio: ad judicium pertinet beatitudo eorum, qui venerunt vocati; & ſupplicium eorum, qui venire noluerunt.*

Ergo ex S. Auguſtino. Divina vocatio ad myſticam illam & ſupernam cœnam, quæ vocatio gratia Dei eſt tum neceſſaria, ſine qua nemo poteſt; tum ſufficiens, qua quiſque poteſt venire ſi velit, communis eſt omnibus prorſus hominibus ratione utentibus, & iis qui veniunt, & iis qui venire nolunt; & beandis in præmium obedientiæ, quâ vocati venerunt; & cruciandis in pœnam inobedientiæ, quâ vocati venire noluerunt; ac proinde ex S. Auguſtino gratia ſufficiens datur omnibus prorſus hominibus ratione utentibus prædeſtinatis beandis, ac reprobis cruciandis.

Ad primum ergo dicendum, quod S. Auguſtinus diſputans cum Pelagianis aſſerentibus Dei gratiam ſitam eſſe in natura rationis participe, in libero voluntatis arbitrio, in lege naturali, moſayca, evangelica, aliiſque adminiculis a natura petitis, quæ omnibus hominibus communia ſunt; & hæc omnia illam eſſe illuminationem, quâ Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, probare conantibus; ut occluderet illis omne perfugium, explicat loco citato teſtimonium illud

Joannis de gratia efficaci, quæ omnibus hominibus non eſt communis, ſicuti communis eſt natura rationis particeps, liberum voluntatis arbitrium, lex ſive naturâ indita, ſive moſayca, ſive evangelica. Ceterum illud idem teſtimonium S. Joannis alibi S. Doctor interpretatur, de gratia ſufficienti omnibus hominibus ratione utentibus præparata, uti conſtat ex lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 3. n. 6. to. 1. Et ex lib. 1. retract. c. 10. n. 2. to. 1. Et ex Tract. 14. in Joan. n. 2. to. 3. aliiſque locis ſatis perſpicuis.

Ad 2. dicendum quod S. Auguſtinus loco citato loquitur de gratià juſtificante, de gratia habituali, de gratia baptiſmi. Siquidem ibi refellit Pelagianos affirmantes baptiſmi gratiam dari propter merita naturalia ſolius liberi arbitrii, & denegari propter demerita ejuſdem arbitrii. Unde inferebant, omnes homines baptiſmi gratiam eſſe accepturos, niſi ſuæ voluntatis arbitrio illam reſpuerent. Ut hunc errorem S. Doctor evertat, in medium profert parvulorum exemplum, ex quibus alii decedunt ante baptiſmum, quin illum reſpuerint ſuæ voluntatis arbitrio; Alii vero decedunt poſt baptiſmum, quin illum promeruerint ſuæ voluntatis arbitrio. Ecce verba S. Doctoris allegatà ad Vital. ep. 217. c. 6. n. 19. & 20. to. 2. ubi objectam propoſitionem ſe exponere profitetur c. 6. n. 18. per illa verba: *Ut eadem duodecim brevi expoſitione percurram.* Jam vero audiatur expoſitio S. Doctoris per quam ſui ipſius interpretem fieri ſe profitetur. *Quomodo dicitur omnes homines eam fuiſſe accepturos, ſi non illi quibus non donatur, eam ſuá voluntate reſpuerent... Cum multis non detur parvulis, & ſine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus feſtinantibuſque parentibus, miniſtris quoque volentibus ac paratis, Deo nolente, non datur; cum repente antequam detur expirat, pro quo ut acciperet currebatur.. Quomodo in hac re merita penſantur voluntatis humanæ, quandoquidem illis quibus gratia iſta non datur, nullo plerumque merito, nulla voluntate diſtantibus, ſed unam cum eis quibus datur, habentibus cauſſam, juſto tamen judicio Dei non datur.*

Ad 3.

Ad 3. dicendum ſimiliter, quod S. Auguſtinus agit iterum loco citato de gratia baptiſmi: Siquidem eodem ſer. 26. cap. 5. n. 5. to. 5. hæc habet. *Excepta illa communi gratia naturæ, quâ homines facti ſumus ... hæc eſt major gratia, quâ facti ſumus populus ejus, & oves paſcuæ ejus per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*: Et rurſus ibidem c. 6. n. 7. *Excepta ergo illa gratia, quâ condita eſt humana natura; hæc enim chriſtianis, paganiſque communis eſt, hæc eſt major gratia, non quod per Verbum homines facti ſumus, ſed quod per Verbum carnem factum, fideles facti ſumus.*

Ad 4. dicendum quod S. Auguſtinus loco citato loquitur de gratia prædeſtinante, quâ alii liberantur ab æterna perditione omnibus debita, & ſine qua gratia prædeſtinante ceteri non liberantur. Sic enim proſequitur eodem L. de Don. Perſ. cap. 8. n. 16. to. 10.: *Non itaque ſimus ingrati, quod ſecundum placitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, tam multos liberat miſericors Deus de tam debita perditione, ut ſi indè neminem liberaret, non eſſet injuſtus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injuſtam judicati ſunt ire, ſed juſtam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoſcat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nuſquam eſſe apud Deum iniquitas invenitur.*

Ad quintum dicendum quod S. Auguſtinus loco citato docet aliquibus deeſſe non quodcumque adjutorium neceſſarium, atque ſufficiens; ſed peculiare illud, quod confertur ad perſeverandum in ſtatu acceptæ juſtitiæ. Deeſt enim apoſtatis angelis, adultis damnatis, parvulis decedentibus ſine baptiſmo, infidelibus, peccatoribus, qui non ſunt in ſtatu juſtitiæ, ſed injuſtitiæ. Siquidem adjutorium neceſſarium, atque ſufficiens ad perſeverandum in ſtatu juſtitiæ conſequitur ſtatum ipſum juſtitiæ. Infidelibus enim, & peccatoribus confertur adjutorium ſufficiens non ad retinendam, ſed vel ad comparandam, vel ad recuperandam juſtitiam. Defectus autem talis adjutorii pœna eſt vel originalis, vel perſonalis peccati; conſequitur enim juſtitiam amiſſam vel propter originale, vel propter perſonale pecca-

Digitized by Google

peccatum. Conſtant hæc omnia ex loco plenius recitato S. Doctoris, videlicet, L. de Corr., & Grat. cap. 11. n. 32. to. 10. ubi S. Auguſtinus hæc habet de adjutorio neceſſario, ac ſufficienti ad perſeverandum in ſtatu juſtitiæ originalis, in quo conditus fuit angelus, & homo primus. *Poſſet ergo permanere ſi vellet; quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere, quod vellet; ſed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet. Sicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.... Si autem hoc adjutorium, vel angelo, vel homini, cum primum facti ſunt, defuiſſet: quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet permanere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt; Quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum: Et tantò amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolum adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi vellimus; verum etiam tantum ac tale ſit, ut vellimus*: Ex quibus in rem noſtram inſuper infero. Ergo ex S. Auguſtino. Si primo homini, & angelo defuiſſet adjutorium neceſſarium atque ſufficiens ad perſeverandum in juſtitia originali, non ſuâ culpâ cecidiſſent; quia deficiente adjutorio neceſſario ac ſufficienti, non eſt culpabilis caſus peccaminoſus; Sed omnibus hominibus ratione utentibus eſt culpabilis caſus peccaminoſus; Ergo ex S. Auguſtino. Nulli homini ratione utenti deeſt adjutorium neceſſarium atque ſufficiens.

Ad ſextum dicendum quod S. Auguſtinus loco citato loquitur de adjutorio immediate neceſſario, atque ſufficienti ad intelligendum & obediendum. Si ergo accipiatur de adjutorio immediate neceſſario, ac ſufficienti ad intelligendum, & obediendum, ſenſus erit hujuſmodi. *Simul enim oſtendit, & ſine adjutorio immediate neceſſario ac ſufficienti Domini Dei, eos intelligere & obedire immediate non poſſe; Et tamen ſi tale adju-*

Digitized by Google

adjutorium Dei deſit, non ideo eſſe excuſabile hominis vitium: quoniam judicia Dei conferentis adjutorium dumtaxat ad orandum, quod eſt mediate ſufficiens ad obediendum, loco adjutorii immediate ſufficientis ad obediendum, quamvis occulta, tamen juſta ſunt. Cauſa autem probabilis ſic interpretandi S. Doctorem eſt hujuſmodi. Quia ſi deeſſet quodcumque adjutorium tum immediate tum mediate; tum proxime tum remote neceſſarium ad obediendum, eſſet utique excuſabile hominis vitium, & judicia Dei præcipientis, & ſimul denegantis omne adjutorium neceſſarium ad obediendum, non ſolum occulta, ſed etiam injuſta eſſent: Siquidem ex S. Auguſtino. Lib. de Corr. & Grat. cap. 11. n. 32. to. 10.. *Si autem hoc adjutorium, per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet, vel angelo vel homini, cum primum facti ſunt defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet permanere ſi vellet; non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.* Porro infinita propemodum loca ſunt, in quibus perſpicue docet S. Auguſtinus nulli prorſus homini ratione utenti, urgente præcepto, deeſſe ajutorium neceſſarium atque ſufficiens ſaltem ad orandum, cui ſi conſenſerit, beneficio piæ orationis obtinebit adjutorium immediate neceſſarium, atque ſufficiens ad obediendum. Hinc Lib. de Natura & Gratia cap. 43. n. 50. to. 10. dicit. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Et l. 4. Op. Imperf. n. 129. to. 10.. *Hominibus natura filiis iræ propterea dantur præcepta vivendi, quia datur & gratia; ut qui jubet, juvet.*

Ad ſeptimum dicendum quod S. Auguſtinus docet ibi. Dei gratiam neceſſariam eſſe ad divina mandata ſervanda, quæ gratia ſi effectivè & reipſa non adjuvet hominis infirmitatem, mandatum illud: *Non concupiſces*: ſub ſe reum tenet; & prævaricatorem potius damnat, quam liberat peccatorem. At vero ex S. Auguſtino licet deſit aliquando Dei gratia efficax, quæ effective & reipſa adjuvat ad Dei mandata ſervanda, urgente tamen præcepto, nunquam ex S. Doctore deeſt gratia Dei ſaltem mediate & remote ſufficiens, quæ aliquomodo affe-

affective, & ſecundum ſe adjuvet; ſi quidem ex S. Doctore ſupra citato. *Hominibus natura filiis iræ propterea dantur præcepta vivendi, quia datur & gratia; ut qui jubet, juvet.*

Ad octavum dicendum quod S. Auguſtinus ibi docet. Pertinere ad occulta judicia Dei quod aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas a Domino, præparatione non qualicumque, ſed congrua atque efficaci, quod alibi paſſim docet. Sic Lib. de Spir., & Lit. cap. 34. n. 6. to. 10., inquit. *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur ut perſuadeatur; illi autem non ita? Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo Divitiarum! Et: numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptiores.* Ubi duo reipſa Auguſtinus diſtinguit, videlicet. Divinam ſuaſionem cum perſuaſione conjunctam. Et: Divinam ſuaſionem a perſuaſione ſejunctam. Divina ſuaſio cum perſuaſione conjuncta eſt gratia ſufficiens conjuncta cum efficacia, & hanc pertinere vult Auguſtinus ad ſolos conſentientes. Divina ſuaſio a perſuaſione ſejuncta eſt gratia ſufficiens ſejuncta ab efficacia, & hanc pertinere vult Auguſtinus ad ſolos diſſentientes; ac proinde docet ſuaſionem, quæ gratia ſufficiens eſt, communem eſſe omnibus hominibus ratione utentibus, conſentientibus & diſſentientibus, bonis ac malis; adeoque nuſquam docet pertinere ad occulta judicia Dei, quod alii aliquam, alii nullam habeant ſufficientem gratiam, quam omnibus eſſe communem palam affirmat.

Ad nonum dicendum quod ex S. Auguſtino. Gratia propter quam dictum eſt: *Quis enim te diſcernit?* Primo eſt Gratia prædeſtinationis, per quam diſcernitur prædeſtinatus a reprobo. Secundo eſt Gratia baptiſmi, per quam diſcernitur fidelis ab infideli. Tertio eſt Gratia juſtificans, per quam diſcernitur juſtus a peccatore. Quarto eſt Gratia efficax, per quam diſcernitur conſentiens a diſſentiente. Quinto eſt Gratia finalis perſeverantiæ, per quam diſcernitur finaliter perſeverans a non perſeverante finaliter. At per gratiam ſufficientem nullus ratione utens diſcernitur; ſiquidem ex S. Auguſtino. Gratia ſufficiens

ciens omnibus hominibus ratione utentibus eſt communis. Dicit enim lib. 83. Quæſt. qu. 68. n. 5. tom. 6.: *Ad miſericordiam pertinet vocatio. Ad judicium pertinet beatitudo eorum qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum qui venire noluerunt.*

Ad decimum dicendum quod S. Auguſtinus ibi loquitur de gratia juſtificante, qua inanes erant in lege veteri Judæi illi, qui ſervabant dumtaxat extrinſecùs legis præcepta ex mero temporalium pœnarum timore, quæ in lege moſayca adverſus tranſgreſſores erant decretæ.

Ad undecimum dicendum quod S. Auguſtinus ibi loquitur de interiori gratia efficaci. Senſus eſt igitur: Ubi non eſt interior gratia efficax, qua perſuadetur quod extrinſecùs ad aures dicitur, inaniter, vitio hominis, forinſecùs perſtrepunt verba. Siquidem Tract. 4. in eamd. Joan. epiſt. n. 1. to. 3. hæc habet. *Ille qui vos creavit, & redemit, & vocavit per ſpiritum, & fidem ſuam habitans in vobis, niſi loquatur vobis intus, ſine cauſa nos perſtrepimus. Undè hoc apparet? Quia cum multi audiant, non omnibus perſuadetur quod dicitur.* Et lib. de Cant. novo c. 8. n. 8. to. 6. *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipſo Adam demonſtratum eſt. Ad malum ſufficit ſibi, ad bonum non niſi adjuvetur a Deo*: Ubi profectò loquitur de adjutorio efficaci, ſiquidem lib. de Corr., & Grat. c. 11. & 12. pluribus docet: *Non defuiſſe Adamo neceſſarium, atque ſufficiens adjutorium, quo poterat, & ſine quo non poterat perſeveranter bonum tenere, quod acceperat.*

Ad duodecimum dicendum quod ex S. Auguſtino. Deus deſerit auxilio dumtaxat efficaci eum, quem induci patitur in tentationem. Siquidem Tract. 55. in Joan. n. 4. to. 3. hæc de tentatis habet. *Quomodo iſta fiant, ut diabolicæ ſuggeſtiones immittantur, & humanis cogitationibus miſceantur, ut eas tanquam ſuas deputet homo, unde ſcit homo? Nec dubitandum eſt, etiam bonas ſuggeſtiones a bono ſpiritu ita latenter, ac ſpiritaliter fieri; ſed intereſt, quibuſnam earum mens humana conſentiat, divino auxilio vel deſerta per meritum, vel adjuta per gratiam*; Adeoque ex S. Auguſtino. Mens humana deſerta divino auxilio, poteſt non conſentire ſuggeſtionibus latentibus, ac

ſpiritalibus boni ſpiritus, quæ ſuggeſtiones profecto non ſunt niſi gratia ſufficiens; ac proinde, urgente tentatione, auxilium illud divinum, quo mens humana aliquando deſeritur, non eſt niſi auxilium efficax.

Ad decimumtertium dicendum quod ex S. Aug. Quando voluit Dominus Jeſus Chriſtus deſeruit Petrum, non tamen omnimodè, ſed aliquatenus & pauliſper. Gratia, videlicet, efficaci vel immediate ſufficienti, & tunc inventus eſt homo Petrus. Siquidem S. Doctor Serm. 285. num. 3. to. 5. hæc habet de lapſu Petri. *Amare Dominum interrogatus Petrus, in corde ſuo præſumpſerat, ſe pro eo etiam moriturum, viribus ſuis hoc tribuerat. Niſi pauliſper a regente deſereretur, non ſibi demonſtraretur*: Rurſus ex S. Doctore. Dei caritas in Fidei confeſſione confirmans Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, una cum tali terrore verum teſtimonium perhibere non pouit. At non deerat Petro parva caritas & imperfecta: videlicet, imperfecta & debilis voluntas bona ex ſufficienti ſibi gratia divinitûs collata, cujus beneficio confiteri Chriſtum conſtanter poterat coram muliere ancilla. Siquidem S. Doctor L. de Grat., & Lib. Arb. cap. 17. n. 33. to. 10. hæc habet de Petro putante ſe poſſe immediate mortem pro Chriſto oppetere, quod poterat tantum mediate ex parva & imperfecta caritate. *Quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam: Putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat. Et quis iſtam, etſi parvam dare cœperat caritatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* Poſtremo in tertia ſententia docet S. Auguſtinus. Petrum non fuiſſe confirmatum in gratia, quando timore mortis Chriſtum ſe noſſe negavit. Cum autem in Spiritus Sancti adventu fuerit confirmatus in gratia, tunc ex S. Doctore: *Annuntiavit uſque ad mortem, quem negaverat timens mortem*:

Concludo, & preſſiùs loquor. Auguſtinus in objecta ſententia docet: Petrum non potuiſſe verum teſtimonium perhibere de Chriſto coram muliere ancilla, ſed impotentia dumtaxat conſequenti, & in ſenſu compoſito parvæ caritatis con-

junctæ

junctæ cum magno mortis ſibi imminentis terrore, hoc eſt, in ſenſu compoſito voluntatis quidem bonæ, ſed debilis, infirmæ, imbecillis, inefficacis. Uno verbo. In ſenſu compoſito *meræ velleitatis* conjunctæ cum ingenti mortis terrore. Quod autem apud S. Auguſtinum ſint voces prorſus ſynonimæ. *Caritas: & bona voluntas. Magna caritas: & bona voluntas efficax. Parva caritas: & bona voluntas inefficax, ſeu mera velleitas*, nullus ignorat niſi qui in ſcholâ Auguſtiniana fuerit prorſus hoſpes & peregrinus. Quod nos in ſecunda parte Auguſtinianæ Summæ luculentiſſime demonſtrabimus.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Illud autem lumen paſcit pura corda eorum, qui ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt, quod omnes homines poſſunt, ſi velint; quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* (b) *Quod lumen mentium ab iſtis oculis penitus alienum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, non noverunt aliqua ex parte Manichæi cogitare.* (c) *Si ergo omnem hominem illud lumen illuminat, nullum relinquit quem hæreticus illuminare ſe dicat.* (d) *Jeſus enim ipſe eſt, qui ſplenduit ſicut ſol, ſe lumen eſſe ſignificans, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod eſt iſte ſol oculis carnis, hoc ille oculis cordis.* (e) *Siquidem de ipſo ait Evangeliſta, quod erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si ergo omnem hominem, & ipſum Joannem; quia & ipſe de hominibus. Etenim quamvis nemo exſurrexerit major Joanne in natis mulierum, unus tamen & ipſe ex his, qui nati ſunt ex mulieribus.* (f) *Solus ergo ille non vocatur à Domino Jeſu, qui non laborat in hoc ſæculo, ſed quis in hac vita non laborat in peccatis & iniquitatibus ſuis? Si autem omnes laborant, omnibus dictum eſt. Venite ad me omnes qui laboratis: Si autem omnibus dictum eſt: quare culpam tuam tribuis invitatori tuo?* (g) *Nullum ſanè mortalium permittit Deus ſe excuſare de umbra mortis, & ipſam enim penetravit Verbi calor.* (h) *Deus enim ſonat ubique, tangendo,*

gendo, modificando, inſpirando. Vocavit terram a ſolis ortu uſque ad occaſum, nullas relinquens partes, quas non vocarit. Qui terram vocavit, & totam terram vocavit, tantam vocavit, quantam fabricavit. (i) *Ita ſane eſt: Vocat undique Deus ad correctionem, vocat undique ad Pœnitentiam, vocat per intimam cogitationem; ſed obſerva, ne multitudine miſericordiæ Dei male utendo, tu tibi theſaurizes iram in die iræ.* (k) *Sive ergo peccator ſit, laudetur Deus qui ad indulgentiam vocat; ſive quis jam ambulet in via juſtitiæ, laudetur Deus qui ad coronam vocat.* (l) *Miſeretur enim, conſiderat imaginem ſuam, fragilitatem noſtram, errorem noſtrum, cæcitatem noſtram, & vocat: Et converſis ad ſe donat peccata; non converſis non donat.* (m) *Illo enim lumine intus mens hominis adſpergitur, quod æternum manet, quod etiam in tenebris lucet; ſed ſicut ſol iſte a cæcis quamvis eos ſuis radiis quodammodo veſtiat, ſic ab ſtultitiæ tenebris non comprehenditur.* (n) *Quinimmo etiam ipſos, qui perſecuti ſunt, non ſtatim poſt reſurrectionem ad ſupplicium rapuit: ſed ſuſtinuit ut ſe aliquando ad ſalutem ab illa impietate converterent, & adhuc ſubſtinet ſervans ultimo judicio ultimam pœnam; & nunc uſque peccatores invitans ad pœnitentiam.* (o) *Licet enim noverit Deus qui ſint in peccatis perſeveraturi, qui relicturi juſtitiam, & irrevocabiliter ad iniquitatem lapſuri, tamen facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos, invitans utique ad pœnitentiam per patientiam, ut qui neglexerint ejus bonitatem, experiantur in fine ſeveritatem.* (p) *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; nec illi qui venerunt, venire poſſent niſi vocarentur. Ita erunt duo illa: Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Ad miſericordiam pertinet vocatio; Ad judicium pertinet beatitudo eorum, qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum, qui noluerunt venire.* (q) *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem pervenit; ſed quia talis fuit, qua moveri non poſſent, nec eam capere apti eſſent, vocati quidem*

dem dici potuerunt, ſed non electi. (r) *Quod ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; illi autem non ita ſuadeatur, ut perſuadeatur? Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat*: O *Altitudo Divitiarum! Et: numquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores; Sed caveat ne inveniat præſumptiores*: Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) L. 1. retr. c. 10. n. 2. to. 1. (*b*) Lib. 19. contr. Fauſt. c. 22. to. 8. (*c*) L. 2. contr. epiſt. Parmen. c. 14. n. 32. to. 9. (*d*) Serm. 78. n. 2. to. 5. (*e*) Tract. 14. in Joan. n. 2. to. 3. (*f*) Serm. 88. c. 17. n. 18. to. 5. (*g*) Enarr. 1. in Pſal. 18. n. 7. to. 4. (*h*) in Pſal. 49. n. 3. to. 4. (*i*) In Pſal. 102. n. 16. to. 4. (*k*) In Pſal. 39. n. 26. to. 4. (*l*) Enarr. 2. in Pſal. 32. n. 11. to. 4. (*m*) L. 1. de pecc. mer. & rem. c. 25. n. 37. to. 10. (*n*) In Pſal. 7. n. 12. to. 4. (*o*) Serm. 149. c. 17 n. 18. to. 5. (*p*) L. 83. Quæſt. qu. 68. n. 5. to. 6. (*q*) Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. n. 13. to. 6. (*r*) L. de Spir., & Lit. c. 34. n. 60. to. 10.

ARTICULUS VI.

Utrum ex S. Auguſtino. Gratia ſufficiens detur omnibus infidelibus ratione utentibus?

Videtur quod ex S. Auguſtino. Gratia ſufficiens non detur omnibus infidelibus ratione utentibus: Hæc enim habet

I. LIb. de Geſt. Pelag. c. 14. n. 34. to. 10. de fide, qua infideles carent. *Fides eſt initium, unde bona opera incipiunt. Fides prima datur, unde impetrantur cetera.*

II. Serm. 292. c. 4. n. 4. to. 5.: *Illis non eſt ortus Chriſtus, à quibus non eſt agnitus Chriſtus. Sol ille juſtitiæ ſine nube, ſine nocte, ipſe non oritur malis, non oritur impiis, non oritur infidelibus.*

III. Serm. 154. de verb. Apoſt. c. 11. n. 16. to. 5. *Pagani qui non habent gratiam Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

IV. Eo-

Digitized by Google

IV. Eodem Serm. 155. de verb. Apoſtol. cap. 7. n. 7. to. 5. *Lex enim jubebat, & non implebat, quia caro ubi non erat gratia, invictiſſimè reſiſtebat.*

V. Lib. de Contin. cap. 3. n. 7. to. 6. de malis concupiſcentiis a Judæis cognitis, & non debellatis: *Qui verò per legem cognoverunt eas... & earum tamen oppugnatione vincuntur, quia ſub lege vivunt, quâ jubetur quod bonum eſt, non & datur, non vivunt ſub gratia, quæ dat per Spiritum Sanctum, quod per legem jubetur.*

VI. Serm. 89. n. 2. to. 5. hæc iterum de Judæis: *Arbor gens Judæorum, ſed iterum dico, reprobata non vocata arbor illa, quam commemoravimus Gens Judæa.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum quod ex S. Auguſtino. Gratia ſufficiens datur omnibus infidelibus ratione utentibus. Diſertiſſimus enim, atque copioſus eſt S. Doctor in hac definitione ſuadenda: Quod ſic oſtendo.

I. L. de Nat., & Grat. c. 4. n. 4. to. 10. hæc decernit de infidelibus, qui non audita Evangelica prædicatione non liberantur per fidem cum caritate conjunctam. *Hi qui non per illam liberantur, ſivè quia audire non potuerunt, ſive quia obedire noluerunt, iuſte utique damnantur.*

II. De Grat., & Lib. Arb. cap. 3. n. 5. to. 10. eadem ſic repetit: *Illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt; ſed eorum, qui tamquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino, quid crederet.*

III. Tract. 89. in Joan. n. 2. to. 3. hæc de Paganis comparative ad Judeos incredulos quibuſcum Chriſtus Dominus fuit diverſatus, & familiariter verba contulit. *Reſpondeo habere illos excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non eſt locutus.*

IV. Eodem Tract. 89. in Joan. n. 3., & 4. ſic eadem uberius expla-

explanat. *Reſtat inquirere: Utrum hi qui priuſquam Chriſtus in Eccleſia veniret ad gentes, & priuſquam Evangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi ſunt, ſeu præveniuntur, poſſunt habere hanc excuſationem? Poſſunt planè, ſed non ideo poſſunt effugere damnationem. Quicumque enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt; & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur ... Iſti certe ad quos venit, & quibus locutus eſt Chriſtus, non habent de magno infidelitatis peccato illam excuſationem, qua poſſint dicere. Non vidimus, non audivimus: Sive non acceptaretur iſta excuſatio ab illo, cujus inſcrutabilia ſunt judicia; ſivè acceptaretur, & ſi non ut ab omni damnatione liberarentur, certè ut aliquanto lenius damnarentur.*

Ergo ex S. Auguſtino. Infideles veræ religionis ignari. I. Damnantur juſtè. II. Non habent excuſationem, quominus ſempiterno igne non ardeant. III. Non habent excuſationem de ceteris ſuis peccatis ſejunctis a defectu fidei. IV. Ideo hanc excuſationem de ceteris ſuis peccatis non habent; quoniam qui ſine lege ſcripta peccaverunt, ſine eadem peribunt. Comparativè autem ad Judæos pertinaciter incredulos, habent aliquam excuſationem de fidei, divinique cultus defectu, quæ tamen excuſatio poſſet à Deo non acceptari, & caſu quo acceptaretur, ut aliquanto lenius præ Judæis damnarentur, dumtaxat acceptaretur; Sed ſi nullam omnino haberent ſufficientem gratiam, quà poſſent cavere peccata ſua, aliquam haberent excuſationem propter defectum gratiæ neceſſariæ ad eadem præcavenda. Illa autem excuſatio de non audita Evangelica prædicatione poſſet a Deo vel omninò non acceptari; vel acceptari ut aliquanto lenius præ Judæis damnarentur. Si quidem ſi hujuſmodi infideles conſenſiſſent primo-primis prævenientibus gratiis, peccata ſua præcaviſſent, & ratione Legis cuique a natura inditæ, viribus gratiæ cuſtoditæ, ad veram religionem paulatim perveniſſent; Ergo ex S. Auguſtino. Infideles veræ religionis ignari habent divinitùs ſufficientem aliquam gratiam, qua præcavere poſſunt peccata ſua, & legem ſibi a natura inditam cuſtodire.

V. Lib. 5. Quæſt. ſuper Deut. qu. 15. n. 4. to. 3.: *Infideles*

non

Digitized by Google

non contemperantur adjutorio gratiæ; ſed ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.

VI. Serm. 99. c. 6. n. 6. to 5.: *Adulter non fuiſti in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum bonum malumque diſcernens, nondum credens in illum, qui te neſcientem regebat ... Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non conſentires, ego terrui. Agnoſce gratiam ejus, cui debes & quod non admiſiſti.*

VII. Tract. 35. in Joan. n. 4. to. 3. ita differit: *Ergo teſtimonium ſibi perhibet lux... Aperit ſanos oculos, & ſibi ipſa teſtis eſt, ut cognoſcatur lux. Sed quid agimus de infidelibus? Nunquid illis non eſt præſens? Eſt præſens & illis; ſed quibus eam videant oculos non habent cordis: Audi de illis ex Evangelio ipſo prolatam ſententiam: Et lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

Ergo ex S. Auguſtino. Interior ſuperna lux fidei remotè ſaltem ſufficiens, etiam infidelibus præſens eſt, quæ in mediis infidelitatis tenebris lucet, quamvis eam tenebricoſi infideles non comprehendant, capti interioribus cordis oculis, bona videlicet voluntate orbati. Hinc infideles ſuperbia & arrogantia tumidi adjutorio præſentis gratiæ minimè contemperantur; quorum nonnulli pro ſtatu ſuæ infidelitatis, præter ſufficientes, habent etiam divinitus efficaces gratias quibus, urgente validiſſimà tentatione, non ſolum vi reſiſtendi potiuntur, verum etiam reipſa reſiſtunt atque contranituntur; Ac proinde ex S. Auguſtino. Aliqua ſufficiens gratia pro temporis opportunitate datur omnibus infidelibus ratione utentibus.

VIII. Tract. 2. in Joan. n. 4. to. 3. hæc de priſcis Paganis Philoſophis teſtatur: *Viderunt quo veniendum eſſet. Sed ingrati ei qui illis præſtitit quod viderunt, ſibi voluerunt tribuere quod viderunt; & facti ſuperbi amiſerunt quod videbant.*

IX. Serm. 197. n. 1. to. 5. hæc iterum de priſcis Sapientibus infidelibus: *Cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Quo merito, niſi ſu-*

Digitized by Google

ſuperbiæ? Nam vide ſequentia. Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Non enim debebant ſibi arrogare, quod ille donaverat, nec ſe jactare ex eo, quod non a ſe ipſis, ſed ab illo habebant. Quod illi utique reddendum fuit, ut ad hoc tenendum quod videre poterant, ab illo ſanarentur qui dederat, ut viderent. Si enim hoc facerent, humilitatem ſervarent, & poſſent purgari, atque illi beatiſſimæ contemplationi cohærerent.

X. De Præd. SS. c. 16. n. 32. to. 10. hæc de infidelibus Judæis, atque Gentilibus decernit. *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos .... non eâ vocatione qua vocati ſunt, & qui noluerunt venire ad nuptias. Illa quippè vocatione, & Judæi vocati ſunt quibus Chriſtus crucifixus ſcandalum eſt, & Gentes quibus crucifixus ſtultitia eſt.*

Ergo ex S. Auguſtino. Infideles philoſophi veteres divinitùs acceperunt ſupernas illuſtrationes, quibus cognoverunt ſupernum hominis finem, ex quarum abuſu, propter ſuperbiæ atque ingrati animi vitium, ſupernam quam cognoverant felicitatem minimè ſunt conſecuti. Dei notitia, quam divino munere habuerunt antiquitùs ſapientes infideles, fuit illis vera gratia ſufficiens quà ſanari, purgari, atque beatiſſimæ Dei contemplationi cohærere poterant ſi voluiſſent. Tempore autem reparatæ ſalutis infideles omnes, Judæi atque Gentiles ad cæleſtis Agni nuptias, Chriſti Domini Eccleſiam, a Deo vocantur, vocatione quidem ſufficienti qua poſſunt, licet illorum vitio inefficaci, qua ad Eccleſiam vocati venire nolunt; Ac proinde ex S. Auguſtino. Aliqua ſufficiens gratia pro temporis opportunitate datur omnibus infidelibus ratione utentibus.

XI. Serm. 2. in Pſal. 101. n. 6. to. 4. *Vocata eſt enim & Jeruſalem, & prima Jeruſalem noluit audire, & dictum eſt ei: Ecce dimittetur domus veſtra deſerta .... Jeruſalem Jeruſalem: clamat, & non reſpondetur. Quoties volui congregare filios tuos tanquam gallina pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti .... Non reſpondetur. Pluitur deſuper, & pro fructu ſpinæ proferuntur.*

Digitized by Google

XII. De Tempore Barbarico cap. 8. n. 9. to. 6. . *Venite & vos Judæi, vocat vos quem crucifixiſtis Filius Dei. Contendite intrare per anguſtam portam. Per hanc enim introjerunt Patres veſtri.*

XIII. Tract. 42. in Joan. n. 9. to. 3. de iiſdem. *Ideò non poterant cognoſcere, quia non poterant audire; ſed undè audire non poterant, niſi quia corrigi credendo nolebant?*

XIV. Tract. 43. in Joan. n. 10. to. 3. hæc iterum de Judæis repetit. *Vos, inquit, dicitis: Dæmonium habes. Ego vos ad vitam voco: Servate ſermonem meum, & non moriemini.*

XV. Tract. 35. in Joan. n. 4. to. 3. hæc rurſus de Judæis ſtatuit. *Dominus Chriſtus & inter fideles ſuos, & inimicos Judæos tanquam inter lucem, & tenebras diſtinguebat. Tanquam inter illos quos radio fidei perfundebat, & illos quorum clauſos oculos circumfundebat.*

XVI. Serm. 7. n. 6. to. 5. de obſtinatis Judæis infidelibus hæc rurſus ita perſequitur. *Dura cervice, & non circumciſis cordibus, & auribus. Dura cervice, ſpinæ non crematæ. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Ideò rubus non comburebatur, quia Spiritui flammæ à ſpinis peccatorum reſiſtebatur.*

Ergo ex S. Auguſtino. Non defuit Judæis incredulis vocatio, clamor, ſuaſio, invitatio, cœleſtis pluvia, illuſtratio, & ardor excitatus ſufficientis gratiæ, cujus divino munere reſpondere, venire, cognoſcere, audire, credere, videre, ardere, ac ſalutarium operum uberes fructus ferre poterant ſi voluiſſent; Ac proindè ex S. Auguſtino. Aliqua ſufficiens gratia pro temporis opportunitate datur omnibus infidelibus ratione utentibus.

XVII. Lib. 83. Quæſt. qu. 68. n. 5. to. 6. hæc teſtatur de Pharaone infideli. *Nunquid ergo latebat Pharaonem, quantum boni conſecutæ fuerint terræ illæ per adventum Joſeph? Illius ergo rei geſtæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Iſrael miſericorditer tractans, non eſſet ingratus.*

Ergo ex Sancto Auguſtino. Infidelis Pharao in illius rei geſtæ cognitione habuit a Deo vocationem; ac proindè ſufficientem gratiam, qua poterat eſſe miſericors, & non ingratus. Quod

Quod autem Sanctus Auguſtinus ſuperiori loco agat de cognitione, & vocatione ſuperna, quæ gratias ſufficiens fuerit reſpectu Pharaonis, eruitur manifeſte ex toto contexu. Hæc enim habet. *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea & ſi quiſquam ſibi tribuit quod venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere quod vocatus eſt. Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii cum vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa: Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Ad miſericordiam pertinet vocatio; ad judicium pertinet beatitudo eorum qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum qui venire noluerunt. Nunquid ergò latebat Pharaonem quantum boni conſecutæ fuerint terræ illæ per adventum Joſeph? Illius ergo rei geſtæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Iſrael miſericoditer tractans, non eſſet ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, ſed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas & miſericordia debebatur, meruit pœnam ut induraretur illi cor.* Poſtremo S. D. ibi concludit num. 6.. *Hæc autem vocatio quæ ſive in ſingulis hominibus, ſive in populis, atque in ipſo genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ & profundæ ordinationis eſt*. Neque obſtat quod illa Pharaonis cognitio verſabatur circa objectum naturale: Neque enim actus ſupernus ſuam repetit ſupernaturalitatem ab objecto circa quod verſatur, ſed a principio ſuperno ex quo oritur; Ac proindè ex S. Auguſtino hæc Pharaonis vocatio non fuit gratia naturalis, vel in quovis alio ſenſu Pelagiano; ſed Auguſtiniana, & Catholica.

Ad primum ergo dicendum quod ex S. Auguſtino. Inter virtutum opera, quæ ſunt actus meritorii ac deliberati, fides eſt initium, unde bona opera incipiunt. Fides prima datur, unde impetrantur cetera. At ipſam fidem, quam formalem vocant, præcedunt quædam ſupernæ diſpoſitiones, quæ ſunt gratia primo præveniens, conſiſtentes in piis animæ cognitionibus, piiſque animæ affectibus indeliberatis, quæ dici ſolent initialis fides, ſeu fidei initium. De hac gratia præveniente ipſam fidem hæc habet S. Auguſtinus lib. de Patient. c. 20. n. 17.

n. 17. to. 6. *Prævenit ergò etiam fidem, ex qua omnia bona opera incipiunt*: Et Lib. 1. ad Simpl. Qu. 2. n. 2. to. 6.. *Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus ſimiles. Non tamen ſolum concipi, ſed etiam naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam*: Et Lib. de Dono Perſ. cap. 8. n. 2. to. 10. - *Qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem*. Et eodem Lib. 1. ad Simpl. Qu. 2. n. 2. to. 6. Hac analyſi uſque ad ſanctam illuſtrationem indeliberatam reſolvit fidem, orationes, ceteraque virtutum opera Cornelii Centurionis. *Aut vero Cornelius non credebat cum eleemoſynis, & orationibus dignum ſe præberet, cui Angelus mitteretur; ſed nullo modo iſta operaretur, niſi ante credidiſſet; nullo modo autem credidiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis aut ſpiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur*.

Ad ſecundum dicendum quod ex S. Auguſtino. Chriſtus ſol juſtitiæ non eſt exortus malis, impiis, infidelibus, exoriente lumine efficaci, & practico, quod expulerit ab eorum cordibus nubes, & injuſtitiæ noctem. Oritur tamen & illis lumine aliquo, & quamvis ſubobſcuro, nihilominus ſufficienti. Dicit enim Tract. 35. in Joan. n. 4. to. 5.. *Ergo teſtimonium ſibi perhibet lux... Sed quid agimus de infedelibus. Nunquid illis non eſt præſens? Eſt præſens & illis*.

Ad tertium dicendum quod ex S. Auguſtino. Pagani non habent gratiam baptiſmi, & juſtificantem per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. At habent pro opportunitate gratiam aliquam ſufficientem, cui reſiſtunt. Docet enim Lib. Quæſt. ſupra Deuter. qu. 15. n. 4. to. 3. quod. *Infideles non contemperantur adjutorio gratiæ*; ac proinde gratiam aliquam habent, cui ex proprio vitio, minimè contemperantur.

Ad quartum dicendum quod ex S. Auguſtino. In Judæis tranſgreſſoribus non erat gratia juſtificans, ſed erat aliqua gratia ſufficiens. Sic enim habet Tract. 35. in Joan. n. 4. to. 3. *Dominus Chriſtus & inter fideles ſuos, & inimicos Judæos, tanquam inter lucem, & tenebras diſtinguebat, tanquam inter illos quos radio fidei perfundebat, & illos quorum clauſos oculos circumfundebat*.

Ad quin-

Digitized by Google

Ad quintum dicendum quod ex Sancto Auguſtino. Judæi indulgentes malis concupiſcentiis per Legem manifeſtatis, non vivunt ſnb gratia efficaci: *Quæ dat per Spiritum Sanctum, quod per legem jubetur*: ut ibidem addidit Sanctus Doctor.

Ad ſextum dicendum quod ex S. Auguſtino. Gens Judæa non eſt vocata vocatione efficaci, & congrua; ſed vocata eſt vocatione aliqua ſufficienti, & vitio gentis illius inefficaci. Siquidem Lib. de Prædeſt. SS. cap. 16. n. 32. to. 10. de Judæis diſſerens ait. *Illa quippe vocatione, qua vocati ſunt & qui noluerunt venire ad nuptias, & Judæi vocati ſunt quibus Chriſtus Crucifixus ſcandalum eſt.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Hi qui non per illam fidem liberantur, quæ per dilectionem operatur, ſive quia audire non potuerunt, ſivè quia obedire noluerunt, juſte utique damnantur.* (b) *Illa enim ignorantia, quæ eſt eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omninò quid crederet.* (c) *Habent Gentes aliquam excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſtum non crediderunt.* (d) *Sive non acceptaretur iſta excuſatio ab illo, cujus inſcrutabilia ſunt judicia; ſivè acceptaretur, & ſi non ut ab omni damnatione liberarentur, certè ut aliquanto lenius damnarentur. Quicumquè enim ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* (e) *Quia infideles hujuſmodi non contemperantur adjutorio gratiæ.* (f) *Agnoſcant ergo gratiam ejus cui debent, & quod non admiſerunt, nondum credentes in illum, qui neſcientes regebat.* (g) *Ergò teſtimonium ſibi perhibet lux. Nunquid enim infidelibus non eſt præſens? Eſt præſens & illis.* (h) *Vocat enim Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, non ea vocatione qua vocati ſunt & qui noluerunt venire ad nuptias: Illa quippe vocatione, & Judæi vocati ſunt & Gentes.* (i) *Vocata eſt enim & Jeruſalem, & prima Jeruſalem noluit audire. Clamatur, & non reſpondetur. Pluitur deſuper, & prò fructu ſpinæ proferuntur.* (k) *Venite dicitur illis, & vos Judæi.*

Digitized by Google

dæi. Vocat vos quem crucifixiſtis Filius Dei: Contendite intrare per anguſtam portam. Per hanc enim introjerunt Patres veſtri. (l) *Vos dicitis dæmonium habes: Ego vos ad vitam voco.* (m) *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis; Ideò rubus non comburebatur, quia Spiritui flammæ a ſpinis peccatorum reſiſtebatur.* (n) *Sed ideo Judæi non poterant cognoſcere, quia non poterant audire; Sed undè audire non poterant, niſi quia corrigi credendo nolebant?* (o) *Hinc Dominus Chriſtus & inter fideles ſuos, & inimicos Judæos, tanquam inter lucem, & tenebras diſtinguebat; tanquam inter illos quos radio Fidei perfundebat, & illos quorum clauſos oculos circumfundebat.* (p) *Quinimmo vocatio etiam Pharaonis fuit ut populum Iſrael miſericorditer tractans non eſſet ingratus.* (q) *Infideles etiam philoſophi viderunt quo veniendum eſſet; ſed ingrati ei qui illis præſtitit quod viderunt, ſibi voluerunt tribuere quod viderunt, & facti ſuperbi amiſerunt quod videbant.* (r) *Non enim debebant ſibi arrogare quod ille donaverat, ut ab illo ſanarentur, qui dederat ut viderent. Si enim hoc facerent, humilitatem ſervarent, & poſſent purgari, atquè illi beatiſſimæ contemplationi cohærerent.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. de Nat. & Grat. c. 4. n. 4. to. 10. (*b*) Lib. de Grat. & Lib. arb. c. 3. n. 5. to. 10. (*c*) Tract. 89. in Joan. n. 2. to. 3. (*d*) Tract. 89. in Joan. n. 3. & 4. to. 3. (*e*) Lib. 5. Quæſt. in Deut. qu. 15. n. 4. to. 3. (*f*) Serm. 99. c. 6. n. 6. to. 5. (*g*) Tract. 35. in Joan. n. 4. to. 3. (*h*) De Præd. SS. c. 16. n. 32. to. 10. (*i*) In Pſal. 101. Ser. 2. n. 6. to. 4. (k) De Temp. Barb. c. 6. n. 9. to. 6. (*l*) Tract. 43. in Joan. n. 10. to. 3. (*m*) Serm. 7. n. 6. to. 5. (*n*) Tract. 42. in Joan. n. 9. to. 3. (*o*) Tract. 35. in Joan. n. 4. to. 3. (*p*) L. Qu. 83. qu. 68. n. 5. to. 6. (*q*) Tract. 2. in Joan. n. 4. to. 3. (*r*) Serm. 197. n. 1. to. 5.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

Utrum ex S. Auguſtino. Urgente præcepto detur aliqua gratia ſufficiens peccatoribus excæcatis, & obduratis?

Videtur quod ex S. Auguſtino. Urgente præcepto nulla detur Gratia ſufficiens peccatoribus excæcatis, & obduratis. Siquidem.

I. IN expoſit. quarumdam propoſ. ex Epiſ. Pauli ad Rom. prop. 62. to. 3. hæc habet de Pharaone. *Non ergo hoc illi imputabatur, quod tunc non obtemperaret; quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; Sed quia dignum ſe præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.*

II. Lib. 17. Quæſt. in Matth. qu. 14. n. 2. to. 3.. *Quis non exurgat in defenſionem Judæorum, ut eos extra culpam fuiſſe proclamet quod non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum; ſed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri aliis quibuſdam peccatis ita eos excæcari meruiſſe, quâ tamen excæcatione non potuerunt credere. Verba enim Joannis iſta ſunt: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſajas: Excæcavit oculos eorum.*

III. Lib. de Dono Perſ. cap. 14. n. 35. to. 10.. *Non poterant credere, quia iterum dixit Iſajas: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor illorum ne videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & ſanem illos. Nec iſtis obfuiſſet quod non poterant credere, ſi ita prædeſtinati eſſent ut eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre.*

IV. Lib. de Nat., & Grat. cap. 22. n. 24. to. 10.. *Nec cogitat prævaricatorem legis quam digne lux deſerat veritatis, qua deſertus utique fit cæcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat, ut ideò tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.*

V. Et

Digitized by Google

V. Et rurſus ibidem. *Utique iſta obduratio vindicta & pœna jam fuit, & tamen per hanc pœnam, ideſt, per cordis cæcitatem, quæ fit deſerente luce ſapientiæ, in plura & gravia peccata collapſi ſunt.*

VI. Lib. de Nat., & Grat. cap. 23. n. 25. to. 10.. *Deſerti luce juſtitiæ, & per hoc contenebrati, quid pariant aliud quam hæc omnia, quæ commemoravi opera tenebrarum, donec dicatur eis, ſi dicto obaudiant. Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus?*

VII. Epiſt. 194 ad Sixtum cap. 3. n. 14. to. 2.. *Quærimus nanque meritum obdurationis & invenimus. Merito nanque peccati univerſa maſſa damnata eſt, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni ſunt nec merentur; at potius ut non impertiatur, hoc digni ſunt, hoc merentur.*

VIII. Lib. 1. ad Simplic. Quæſt. 2. n. 15. to. 6.. *Neque enim quomodo dictum eſt: Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei; Sic etiam dictum eſt: Non nolentis neque contemnentis, ſed obdurantis eſt Dei. Unde datur intelligi, quod infra utrumque poſuit: ergo cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat, ita ſententiæ ſuperiori poſſe congruere, ut obduratio Dei ſit nolle miſereri, non ut ab illo irrogetur aliquid, quo ſit homo deterior; ſed tantum quo ſit melior, non erogetur.*

IX. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 47. to. 10.. *Quis porro volens cæcus eſt corde, cum velit nemo cæcus eſſe vel corpore?*

X. Tract. 53. in Joan. n. 6., & 7. tom. 3.. *Sic enim excæcat & obdurat Deus deſerendo & non adjuvando, quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt. Hoc omnino pietas religioſorum inconcuſſum debet inviolatumque ſervare. Si ergo abſit ut ſit iniquitas apud Deum; ſive quando adjuvat, miſericorditer facit; ſive quando non adjuvat, juſte facit. Ideo cum quæſtiones hujuſmodi in medium venerint. Quare alius ſic, alius autem ſic? Quare ille Deo deſerente excæcetur, ille Deo adjuvante illuminetur? Non nobis judicium de judiciis tanti Judicis uſurpemus; ſed contremiſcentes exclamemus cum Apoſtolo. O Alti-*

Altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Unde dictum eſt in pſalmo. Judicia tua ſicut multa abyſſus. Non ergo me fratres ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyſſum diſcutiendam, ad inſcrutabilia perſcrutanda, expectatio veſtræ caritatis impingat. Agnoſco modulum meum, ſentire mihi videor etiam modulum veſtrum. Altius eſt hoc incrementis meis, & fortius viribus meis; puto quia & veſtris. Simul ergo audiamus admonentem ſcripturam atque dicentem: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris.

XI. In Pſal. 77. n. 30. to. 4.. *Præceſſit aliquid undè Deus juſtiſſimè iratus ab eis ſuum lumen auferret, ut in peccata, quæ nulla tergiverſatione defendi poſſunt non eſſe peccata, cæcitas humanæ mentis offenderet, ab itinere juſtitiæ deviando, & errando.*

XII. In Pſal. 147. n.26. to. 4.. *Ecce deſerit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit ſenſum, ecce non infundit gratiam. Solvatur homo ſi poteſt glacie ſtultitiæ*: Non poteſt. *Quare non poteſt? In faciem frigoris ejus quis ſubſiſtet?*

XIII. Lib. de Nat., & Grat. cap. 51. n. 59. to. 10.. *Cæcus puto quod velit videre; ſed non poteſt. Si autem vult & non poteſt, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas.*

XIV. In Pſalm 57. n. 22 to. 4.: *Jam eſt mentis cæcitas: jam oculus mentis extinctus eſt.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum quod ex S. Auguſtino: Aliqua gratia ſufficiens, urgente præcipue præcepto, divinitus conferatur peccatoribus excæcatis atque obduratis, qua Deo præcipienti poſſint obtemperare. Pia hæc atque benigna ſententia multiplici S. Doctoris ſuffragio ſic comprobatur.

I. Lib. 2. Quæſt. ſupra Exod. Quæſt. 18. to. 3. hæc habet de Pharaone obdurato. *Ut ergo tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, ſed potius ad impietatem, vitii proprii fuit. Quod vero ea facta ſunt, quibus cor ſuo vitio tam malignum reſiſteret juſſionibus Dei; hoc eſt enim*

Digitized by Google

quod dicitur induratum; quia non flexibiliter conſentiebat, ſed inflexibiliter reſiſtebat, diſpenſationis fuit divinæ, qua tali cordi non ſolum juſta, ſed evidenter juſta pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur.

Ergo ex S. Auguſtino Deus patientiâ ſuâ expectabat, ut Pharao jam obduratus ad pietatem moveretur, quod vitio ſuo non præſtitit. At ſi ex defectu omnis omnino gratiæ ſufficientis Pharao obduratus nullo modo moveri ad pietatem poterat, nullus erat locus patientiæ Dei, qua expectaret ut ad pietatem moveretur; ergo ex S. Auguſtino Pharao obduratus aliquam ſufficientem gratiam habebat, qua aliquo modo ad pietatem moveri poterat; ac proinde bene uti etiam poterat exhibita ſibi patientia Dei. Rurſus: Ergo ex S. Auguſtino pœna evidenter juſta Pharaoni jam obdurato parabatur, quod in conſpectu tot tantorumque ſignorum, Dei juſſionibus reluctaret; at ſi ex defectu cujuſcumque ſufficientis gratiæ obtemperare omnino pro tali ſtatu non poterat, jam ſibi parata pœna evidenter juſta eſſe non poterat, quod in conſpectu tot tantorumque ſignorum, juſſionibus Dei reſiſteret; ergo ex S. Auguſtino Pharaoni jam obdurato omnis omnino ſufficiens gratia non deerat, qua aliquomodo poſſet Dei juſſionibus obtemperare.

II. Tract. 53. in Joan. n. 6. 9., & 10. to. 3. hæc de Judæis excæcatis, & obduratis affirmat. *Non poterant credere, quia hoc Iſajas propheta prædixerat, hoc autem propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit. Quare autem non poterant ſi a me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per prophetam prænunciavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt... Sic autem dictum eſt. Non poterant; Ubi intelligendum eſt, quod nolebant.... Sicut ergo quod Dominus negare ſeipſum non poteſt, laus eſt voluntatis divinæ; ita quod illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ.... Hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non poſſunt; ſed quandiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. Hinc excæcantur, & indurantur, quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur.*

Ergo ex S. Auguſtino: In Judæis excæcatis & obduratis im-

impotentia ad credendum erat dumtaxat conſequens, orta ex mala eorumdem voluntate, & hinc ex prophetica prædictione, & hinc ex divina revelatione, & hinc ex divina præſcientia; ſed impotentia hujuſmodi adjunctam habet veram antecedentem potentiam ad credendum, quæ neceſſario involuit ſufficientem gratiam, quâ credere poterant, ſi voluiſſent; ergo ex S. Auguſtino Judæis excæcatis & obduratis adfuit ſufficiens gratia ad credendum.

Rurſus ex S. Auguſtino: Si excæcati atque obdurati Judæi poterant mutari in melius ſi voluiſſent, ſi non poterant credere quia nolebant, ſi impotentia ad credendum culpa erat voluntatis malæ credere reſpuentis, ſi divini auxilii efficaciam non ſunt experti, quia ſibi neceſſarium eſſe mente ſuperba negabant, habebant utique in vera, ſolida, & libera poteſtate ad credendum auxilium ſufficiens, quo poterant credere ſi voluiſſent; ergo ex S. Auguſtino non deerat excæcatis atque obduratis Judæis ſufficiens gratia ad credendum.

III. In expoſit. epiſt. ad Rom inchoat.. n. 22. to. 3. de obduratis Judæis hæc iterum habet. *Hinc licet advertere etiam ipſis Judæis, quorum blaſphemiam Dominus arguit, non fuiſſe clauſum corrigendi ſe & pœnitendi locum, quod idem Dominus in ea ipſa reprehenſione ait illis. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum; quod utique nulla ratione diceretur eis, ſi propter illam blaſphemiam jam commutare animum in melius, & recte factorum fructus generare, non poſſent.*

Ergo ex S. Auguſtino Judæis obduratis, atque blaſphemis in Spiritum Sanctum non fuit clauſus corrigendi ſe, & pœnitendi locus. Item: Commutare in melius animum, & recte factorum fructus generare poterant, ſi vellent; ergo ex S. Auguſtino non deerat illis gratia ſufficiens, quâ hæc omnia præſtare poſſent, ſi vellent.

IV. Serm. 7. n. 6. to. 5. *Dura cervice, non circumciſi corde & auribus... Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Ideo rubus con cremabatur, quia flammæ Spiritûs à ſpinis peccatorum reſiſtebatur.*

Digitized by Google

Ergo ex S. Auguſtino non deerat obduratis Judæis in ſupernæ inſpirationis flamma, cui vitio ſuo reſiſtebant, ſufficiens gratia, qua cor lapideum emollire poſſent, ſi vellent.

V. In Pſal. 147. num. 25. & 26. to. 4. *Ecce cryſtallum erat Apoſtolus Paulus, durus, obnitens veritati, clamans adverſus Evangelium, tanquam indurans adverſus ſolem... Durus eſt ille, & gelidus contra ignem Dei.*

Ergo ex S. Auguſtino Apoſtolus Paulus in ſtatu prioris obdurationis adverſus radios ſupernarum illuſtrationum quibus perfundebatur, & adverſus ignem ſupernarum inſpirationum quibus circumfundebatur, durus & gelidus inſtar cryſtalli ſeſe obfirmabat; ac proinde gratiam aliquam ſufficientem habebat.

VI. In Pſal. 6. n. 8. tom. 4. *Ea eſt cæcitas mentis: In eam quiſquis datus fuerit ab interiore Dei luce ſecluditur, ſed non dum penitus, cum in hac vita eſt.*

Ergo ex S. Auguſtino excæcati, dum ſunt in hac vita, nondum penitus ab interiore Dei luce, ac proinde nondum penitus ab auxilio aliquo ſufficienti ſecluduntur.

VII. L. 5. contra Julian. cap. 3. num. 8. tom. 10. *Cæcitas cordis, quam ſolus removet illuminator Deus, & peccatum eſt, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quâ cor ſuperbum dignâ animadverſione punitur, & cauſa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.*

Ergo ex S. Auguſtino cæcitas cordis peccatum eſt incredulitatis, & malum, quod per cordis cæcitatem committitur, ſimiliter peccatum eſt; ſed peccatum incredulitatis prærequirit ſufficientem gratiam, quâ poſſit homo credere: Si enim nullatenus poteſt credere, non credendo non peccat. Similiter peccatum quodlibet prærequirit omninò ſufficientem gratiam, quâ poſſit homo à peccato abſtinere: Si enim nullatenus abſtinere poteſt, non peccat; ergo ex Sancto Auguſtino cæcitas cordis ſufficientem gratiam vel involvit, vel arguit; ac proindè ex S. D. excæcati non omnis prorſus gratiæ ſufficientis expertes ſunt.

VIII. L. 5. contra Julian. cap. 3. n. 12. to. 10. *Cum ergo dicitur*

Digitized by Google

citur homo tradi deſideriis ſuis, indè fit reus, quia deſertus à Deo cedit eis atque conſentit, vincitur, capitur, traditur, poſſidetur.

Ergo ex S. Auguſtino homo obduratus cedendo, & conſentiendo deſideriis ſuis fit reus; adeoque poteſt non cedere, nec conſentire deſideriis ſuis. *Quis enim*, ex S. Doctore L. 3. de Lib. Arbit. cap. 18. num. 5. to. 1. *peccat in eo, quod caveri nullo modo poteſt?* Ac proinde ex S. Auguſtino peccator obduratus habet auxilium ſufficiens, quo poteſt non cedere, nec conſentire deſideriis ſuis.

IX. In Pſal. 35. num. 10. to. 4. de Paganis ſapientibus ita loquitur. *Tradidit illos Deus in concupiſcentias cordis eorum; Quia ergò fuerunt ſuperbi & ingrati, digni habiti ſunt, qui traderentur in concupiſcentias cordis ſui, & facti ſunt abyſſus multa, ut non ſolum peccarent, ſed etiam dolosè agerent, ne intelligerent iniquitatem ſuam, & odiſſent. Iſta profunditas eſt malitiæ, ut nollent invenire, & odiſſe.*

Ergò ex S. Auguſtino Pagani illi obdurati, quos propter ſuperbiam, & ingratum animum tradidit Deus in concupiſcentias cordis ſui, habebant ſufficientia auxilia, quibus poterant intelligere, invenire, & odiſſe iniquitatem ſuam, ſi vellent.

X. Serm. 351. c. 5 n. 12. to. 5. *Quidquid enim feceris, quæcumque peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te Deus omnino ſi ſanare nollet, auferret: Cur ergo ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Qui enim clamando non tibi perſuaſit ut non recederes; parcendo clamat ut redeas.*

Ergò ex S. Auguſtino Deus quantum eſt de ſe ſanare vult quemcumque peccatorem, quantumvis obduratum, cui parcendo clamat ut redeat; ac proinde ſuppeditat illi, donec eſt in hac vita, ſufficientia auxilia, quibus ſanari poſſit, & converti, ſi velit.

XI. Epiſt. 185. ad Bonifac. c. 11. n. 49. to. 2. *Quandiù verò hic vivit, cum, ſicut dicit Apoſtolus, patientia Dei ad pœnitentiam adducit; ſed ſi ipſe perſeverantiſſima iniquitate, ſicut conſequenter adjungit Apoſtolus, ſecundum duritiam cordis ſui, & cor impœnitens theſaurizat ſibi iram in die iræ, & revelationis*

Digitized by Google

tionis juſti judicii Dei, non remittitur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.

Ergo ex S. Auguſtino Patientia Dei, quantum eſt de ſe, invitat & allicit peccatorem ad Pœnitentiam, quantumvis obduratum, atque contranitentem uſque ad finalem impœnitentiam, quæ neque in hoc, neque in futuro ſæculo remittitur; ac proindè præbet illi ſufficientia auxilia, quibus pervenire poteſt ad pœnitentiam.

XII. Lib. 5. cont. Julian. cap. 3. num. 12. tom. 10. *Multa alia commemorare poſſumus, in quibus liquido apparet, occulto judicio Dei fieri perverſitatem cordis, ut non audiatur, quod verum dicitur, & indè peccetur, & ſit ipſum peccatum præcedentis etiam pœna peccati.*

Ergo ex S. Auguſtino perverſitas, ſeù obduratio cordis peccatum eſt, quo non auditur quod verum dicitur; adeoque præſto eſt cordi perverſo & obdurato interior locutio, quam poteſt audire ſi velit, & per hoc peccat, quod cum poſſit, non vult interiorem Dei locutionem audire.

XIII. Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. num. 14. tom. 6. *Quod ſi tanta quoque poteſt eſſe obſtinatio voluntatis, ut contra omnes modos vocationis obdureſcat mentis averſio: Quæritur utrum de divina pœna ſit ipſa duritia? Cum Deus deſerit non ſic vocando, quomodo ad fidem moveri poteſt. Quis enim dicat modum, quo ei perſuaderetur ut crederet, etiam Omnipotenti defuiſſe?*

Ergo ex S. Auguſtino obduratio ex parte hominis obdurati in eo conſiſtit, quod voluntas humana obdureſcat adverſus modos vocationis divinæ: Ex parte autem Dei obdurantis in eo ſita eſt, quod non vocet Deus eo modo, quo moveretur obduratus ad fidem; ſed eo potius modo vocet, quo ex malitia ſua non movebitur obduratus ad fidem; ac proinde ex Sancto Auguſtino obduratio infidelis includit auxilium ſufficiens ad credendum.

XIV. Lib. de Gra. & Lib. Arb. c. 14. n. 29. tom. 10. *Ipſum cor lapideum non ſignificat, niſi duriſſimam voluntatem, & adverſus Deum omnino inflexibilem.*

Er-

Digitized by Google

Ergo ex S. Auguſtino cor lapideum non eſt niſi voluntas lapidea & duriſſima, quæ, tundente Deo ac pulſante repetitis ictibus gratiæ ſuæ, perſtat adhuc immota, nec ulla unquam ratione inflectitur; ac proinde gratia ſufficiente pertunditur, quâ pulſante, flecti ceteroquin poſſet, ſi vellet.

XV. Epiſt. 264. ad Maximam num. 1. tom. 2. *Comparant ſibi quidem illi ſua voluntate perverſa, & præſentis meritum cæcitatis, & futuri æterni ſupplicii; ſi per contumaciam indociles fuerint, ſeque cum in hac vita ſunt corrigere, atque emendare neglexerint.*

Ergo ex S. Auguſtino obdurati atque excæcati, ſi per contumaciam fuerint indociles, & neglexerint ſe corrigere, & emendare, dum ſunt in hac vita, comparant ſibi meritum æterni ſupplicii; adeoque dum ſunt in hac vita docentur intrinſecus, & poſſunt ſi velint, ſe corrigere, atque emendare; ac proindè habent auxilium aliquod ad ſalutem ſufficiens.

XVI. In Pſal. 124. num. 1. to. 4. *Nihil aliud nutriunt quam ſuperbiam, & cor eorum congelaſcit adverſus Deum, & fit durum adverſus imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat.*

Ergo ex S. Augnſtino cor gelidum atque obduratum, & perfunditur radiis, & irrigatur imbre divinæ gratiæ, cujus munere, caritate liqueſcere, & fœcunditate diteſcere poteſt, ſi velit; ac proinde ex S. Auguſtino peccatores obdurati non omni prorſus gratia ſufficienti deſtituuntur.

XVII. In Pſal. 55. n. 6. to. 4. iterum de obduratis in die judicii. *Illis pœnitendi locus nullus remanebit, qui eo tempore quo fructuoſa poſſet eſſe pœnitentia, cor obduraverunt adverſus monentem Deum.*

Ergo ex S. Auguſtino obdurati ſupernis Dei admonitionibus excitantur, quas parviſaciunt; ac proinde ſufficientes habent a Deo gratias, quarum beneficio, donec ſunt in hac vita, fructuoſam poſſunt agere pœnitentiam, ſi velint.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino loco citato non imputabatur proximè & immediate Pharaoni, ſed remotè dumtaxat atquè mediatè, quod tunc non obtemperaret; quandoquidem obdurato corde, proximè & immediatè obtempera-

perare non poterat, cum ſola facultate remota & mediata obtemperandi. In pœnam ergò prioris infidelitatis, quando Exod. c. 5. v. 2. Moyſi reſpondit: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam*, denegatum fuit illi ſufficiens auxilium ad obtemperandum. Et hæc fuit illius obduratio ex parte Dei. At præſtò erat ſufficiens auxilium ad credendum, cui ſi reſpondiſſet ut poterat, intuitu fidei, obtinuiſſet ſufficiens auxilium ad orandum; quod ſi præſtitiſſet ut poterat, virtute humilis orationis, impetraſſet ſufficiens auxilium ad obtemperandum. Neque aliter explicari poteſt, quomodò ex S. Auguſtino lib. 2. Quæſt. ſuper Exod. qu. 18. to. 3. Expectabat Deus patientia ſuâ, ut obduratus Pharao ad pietatem moveretur, & quanam ratione pœna evidenter juſta pararetur Pharaoni, quod in conſpectu tot tantorumque ſignorum, Dei juſſionibus non obtemperaret, ſi nulla ratione, ne mediatè quidem, poterat obtemperare. Præterea. Lib. de Grat., & Lib. Arb. c.23. n.45. to. 10. hoc teſtimonium de Pharaone reliquit. *Nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: Ego induravi Pharaonem, vel induravi aut indurabo cor Pharaonis. Non enim propterea ipſe Pharao non induravit cor ſuum. Nam & hoc de illo legitur, quando ablata eſt ab Ægyptiis Cynomia, dicente Scriptura: Et ingravavit Pharao cor ſuum & in iſto tempore, & noluit dimittere populum. Ac per hoc & Deus induravit per iſtum judicium, & ipſe Pharao per liberum arbitrium*. Jam verò: Si Pharao per liberum arbitrium noluit dimittere populum, dimittere poterat per idem arbitrium liberum; ac proinde poterat aliquo modo obtemperare, ſi non immediate & proxime, ſaltem mediate & remote, vel ſi vis etiam, remotiſſimè.

Ad ſecundum dicendum Judæos excæcatos credere non potuiſſe, ſed impotentiâ quam vocant *conſequentem*, profluente ex mala eorumdem voluntate, quâ credere noluerunt. *Quare autem non poterant*, inquit, S. Doctor Tract. 53. in Joan. num. 6. tom. 3., *ſi à me quæratur, citò reſpondeo, quia nolebant*.

Ad

Ad tertium eadem eſt reſponſio. Præterea admitto Deum noluiſſe Judæos illuminare, & noluiſſe illis cor lapideum auferre beneficio vel efficacis, vel immediate ſufficientis auxilii ad credendum; ſed nego hæc Deum præſtitiſſe per ſubtractionem ſufficientis etiam auxilii ad orandum pro impetrando auxilio ſufficienti ad credendum. Invicta eſt enim S. Doctoris ſententia in Pſal. 6. num. 8. to. 4. *Ea eſt cæcitas mentis, in eam quiſquis datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur, ſed nondum penitùs, cum in hac vita eſt.*

Ad quartum dicendum, quod ut ibidem dicitur, *excæcatus ideo tantum audit vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris*, adeoque præſto eſt illi auxilium ſufficiens, quo ſaltem poſſit implorare gratiam Salvatoris; ac proinde excæcatus non eſt deſertus omni prorſus lumine, etiam mediatè ſufficienti, neque eſt neceſſe neceſſitate quam vocant *antecedentem*, ut plus offendat, & cadat.

Ad quintum dicendum, quod, ut ibidem ex S. Doctore habetur, *excæcati in plura, & gravia peccata prolapſi ſunt*; adeoque potuerunt peccata vitare. *Peccatum enim*, ex S. Auguſtino Lib. Imperf. de Gen. ad Lit. c. 1. n. 3. to. 3., *eſt pravus liberæ voluntatis aſſenſus, cum inclinamur ad ea, quæ juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*; quarè ſi potuerunt peccata vitare, habuerunt ſufficientia auxilia, quibus illa vitarent; adeoque cæcitas cordis non fit deſerente omni penitùs luce ſapientiæ, etiam ad agnoſcendam propriam miſeriam, ad orandum, quærendum, pulſandum: eſto fiat deſerente ſapientiæ luce, tum efficaci, tum immediate ſufficienti ad præcepta ſervanda.

Ad ſextum dicendum ex S. Doctore excæcatos non eſſe deſertos omni penitùs luce juſtitiæ; ſed vel efficaci, vel immediate tantum ſufficienti. Si enim dicto obaudiant, dicitur illis ex S. Doctore, *ſurge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*; adeoque aliquam gratiam excitantem accipiunt, mediate ſaltem ſufficientem.

Ad ſeptimum dicendum ex S. Doctore Deum non obdurare hominem non impertiendo ullam penitùs miſericordiam homi-

Digitized by Google

ni; ſed illi non impertiendo miſericordiam efficacem, vel non impertiendo ei miſericordiam proximè & immediate ſufficientem.

Ad octavum dicendum ex S. Doctore Deum non obdurare per hoc, quod nulla ratione miſereri velit, ſed per hoc, quod miſereri non vult miſericordia efficaci, vel immediate ſufficienti, & in hoc ſenſu non erogatur a Deo aliquid, quo obduratus ſit melior: ſiquidem hoc aliquid eſſet efficax miſericordia; ſed aliquid erogatur, quo poſſit eſſe melior, videlicet, miſericordia ſufficiens. Si enim ex S. Doctore obduratio eſt nolentis & contemnentis hominis, eo ipſo ſuaſionem arguit, cui non vult conſentire, & vocationem, quam decernit contemnere.

Ad nonum dicendum, quod cæcitas cordis ex parte Dei in eo ſita eſt, quod nolit Deus impertiri vel auxilium efficax, vel immediate ſufficiens ad pœnitentiam, ſed mediate tantum ſufficiens, hoc eſt, merum auxilium ad implorandam miſericordiam. Hæc autem in hominis poteſtate non ſunt. Cæcitas verò cordis ex parte hominis in eo ſita eſt, quod nolit homo aperire oculos in conſpectu luminis ſufficientis ad intuendam propriam miſeriam, ad cognoſcendam indigentiam divinæ miſericordiæ, ad quam implorandam à Deo excitatur; & hæc ſunt in hominis poteſtate.

Ad decimum dicendum, quod ex S. Doctore Deus excæcat non penitus, ſed aliquatenus deſerendo; non penitus, ſed aliquatenus non adjuvando, auxilio videlicet efficaci, vel immediate ſufficienti. Similiter pertinet ad occulta judicia Dei, quod unus, Deo non penitus, ſed aliquatenus deſerente auxilio efficaci, vel immediate ſufficienti, excæcetur; alter vero, Deo efficaciter adjuvante, illuminetur. Deus enim ex S. Auguſtino excæcat quidem judicio occulto, at non excæcat judicio iniquo, ut dicitur loco citato; ſed ſi in pœnam præcedentis peccati denegaret omne penitus auxilium neceſſarium ad obediendum, deinde præciperet, & impotentem obedire æterna pœna multaret, judicio non ſatis æquo ſe tali pacto gerere videretur Deus. Quemadmodum ſi Dominus aliquis, in pœnam præteritæ infidelitatis, omnem penitus lucem ad legendum neceſſariam eriperet ſervo infideli, mox illi præciperet ut luce captus legeret, & impo-

impotentem legere, ex defectu luminis neceſſarii, ſupplicio ſervum afficeret, tyrannico & iniquo ſanè judicio tali ratione ſe gereret adverſus ſervum; ergo ex S. Doctore non ita excæcat Deus peccatores, ut illis etiam in pœnam præcedentium criminum, omne pœnitus auxilium ad obediendum neceſſarium, atque ſufficiens occludat.

Ad undecimum dicendum Deum juſtiſſimè iratum, propter peccata præterita auferre ab aliquibus peccatoribus ſuum lumen efficax, vel immediate ſufficiens; & per hoc illos excæcare: Non autem auferre ab illis omne penitùs ſuum lumen etiam mediate ſufficiens, cujuſmodi eſt lumen ſufficiens ad agnoſcendam propriam miſeriam, & implorandam divinam miſericordiam, ut à ſua cæcitate liberentur. Siquidem ex S. Doctore loco citato: *Excæcati in manifeſta offendunt peccata*; ac proinde lumen aliquod ſufficiens habent, quo poſſint aliqua ratione peccata internoſcere, atque evitare.

Ad duodecimum dicendum Deum non obdurare penitus deſerendo, penitus non vocando, penitus non aperiendo ſenſum, penitus non infundendo, urgente præcipue præcepto, gratiam ullam, nè mediate quidem ſufficientem, puta ad agnoſcendam propriam miſeriam, ad apprehendendam indigentiam divinæ Miſericordiæ, ad invocandum, ad orandum: At verò obdurare aliquatenus deſerendo, non vocando, non aperiendo ſenſum, non infundendo efficacem gratiam, vel immediate ſufficientem. Pro hoc autem ſtatu impotens eſt peccator ſolvi glacie ſtultitiæ, ſed impotentia conſequenti, proxima, & immediata; non autem impotentia antecedenti, remota, & mediata.

Ad decimumtertium dicendum, quod cæcus non poteſt videre naturæ viribus, etiam ſi velit, nec habet poſſibilitatem, hoc eſt, poteſtatem videndi, quam habuit Adam in natura ſana, in qua fuerat creatus abſque ignorantia pœnali. Poteſt tamen videre ſuperno lumine illuſtratus, & habet ſupernam aliquam poſsibilitatem, ſeu poteſtatem videndi, ſaltem mediatam, conjunctam tamen cum originali ignorantia.

Ad decimumquartum dicendum ex S. Doctore, mentis

oculum excæcatum non eſſe prorſus extinctum phyſice, antecedenter, in perpetuum, & urgente præcepto videndi; ſed aliquatenus, moraliter, conſequenter, ad tempus, videlicet, non urgente præcepto videndi: Aliter enim S. Doctor ſecum pugnantia loqueretur. Siquidem in Pſal. 6. n. 8. tom. 4. dixit: *Ea eſt cæcitas mentis, in eam quiſquis datus fuerit, ab interiore Dei luce ſecluditur; ſed nondum penitus, cum in hac vita eſt.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Quiſquis in cæcitatem cordis datus fuerit, nondum penitus ab interiore Dei luce ſecluditur, cum in hac vita eſt.* (b) *Non aliter enim Deus deſerit excæcatum, quam non ſic vocando, quomodo moveretur ad fidem; ſibi ergo imputet ſi obdureſcit contrà modos vocationis divinæ.* (c) *Sanare enim Deus vult quemcumque peccatorem, quantumvis obduratum, patientia ſua ad pænitentiam illum adducit, cui parcendo clamat ut redeat.* (d) *Ideo enim audit vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* (e) *Ipſis etiam Judæis adeò excæcatis & obduratis, non fuit clauſus ſe corrigendi, & pænitendi locus. Siquidem in melius animum commutare, & recte factorum fructus poterant generare.* (f) *Quod ſi quæratur:* quomodo ergo *non poterant credere? Cito reſpondeo, quia nolebant culpa perverſæ ſuæ voluntatis: Mutari enim in melius poterant, ſi voluiſſent:* (g) *Sed nolebant, dum flammæ Divini ſpiritus reſiſtebant.* (h) *Quos inter Paulus in ſtatu prioris obdurationis obnitebatur veritati, indurabat adverſus ſolem, durus erat & gelidus contra ignem Dei.* (i) *Quinimmo ipſemet Pharao, obduratiſſimus licet, per liberum arbitrium induravit cor ſuum, & per idem arbitrium liberum noluit dimittere populum Iſrael, ut poterat.* (k) *Vitii etenim proprii fuit, quod patientia Dei ad pietatem non moveretur, cui proinde pœna evidenter juſta parabatur, quod per tot ac tanta prodigia, ſibi perſpicuis Dei juſſionibus contumax adhuc reſiſteret.* (l) *Sed quid mirum? Cor induratum congelaſcit adverſus Deum, & fit durum adverſus*

Digitized by Google

ſus imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat. (m) *Per hoc enim ſit perverſitas cordis, ut non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur, & ſit ipſum peccatum præcedentis etiam pœna peccati.* (n) *Cæcitas enim cordis peccatum eſt, quo in Deum non creditur, & cauſa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur.* (o) *At non ſolum obdurati peccant, ſed etiam doloſè agunt, ne intelligant iniquitatem ſuam, & odio habeant.* (p) *Quod ſi dum ſunt in hac vita, eo tempore quo fructuoſa poteſt eſſe pœnitentia, cor obduraverint adverſus monentem Deum:* (q) *Comparant ſibi ſuâ voluntate perversâ meritum futuri æterni ſupplicii, ſi per contumaciam indociles fuerint; ſeque cum in hac vita ſunt, corrigere atque emendare neglexerint.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) In Pſal. 6. n. 8. to. 4. (*b*) L. 1. ad Simplic. qu. 2. n. 14. to. 6. (c) Serm. 351. c. 5. n. 12. tom. 5. (*d*) L. de Nat., & Grat. cap. 22. n. 24. tom. 10. (*e*) In expoſ. epiſt. ad Rom. Inchoat. num. 22. to. 3. (*f*) Tractat. 53. in Joann. n. 6. to. 3. (*g*) Serm. 7. n. 6. to. 5. (*h*) In Pſal. 147. num. 25., & 26. tom. 4. (*i*) Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 23. n. 45. tom. 10. (*k*) L. 2. Quæſt. ſuper Exod. qu. 18. tom. 3. (*l*) In Pſalm. 124. num. 1. to. 4. (*m*) Lib. 5. contra Julian. cap. 3. n. 12. t. 10. (*n*) Lib. 5. contra Julian. c. 3. num. 8. tom. 10. (*o*) In Pſal. 35. num. 10. tom. 4. (*p*) In Pſalm. 55. n. 6. to. 4. (*q*) Epiſt. 264. ad Maximam num. 1. tom. 2.

ARTICULUS VIII.

Utrum ex S. Auguſtino parvulis omnibus Deus præparaverit ſufficientia media ad ſalutem?

Videtur, quod ex S. Auguſtino parvulis omnibus Deus non præparaverit ſufficientia media ad ſalutem: Quandoquidem

I. AD Vital. Ep. 217. c. 6. n. 19. tom. 2. hæc docet de parvulis decedentibus ſine baptiſmo: *Quod dictum eſt: Omnes homines vult Deus ſalvos fieri, cum tamen multos nolit ſal-*

ſalvos fieri; ideo dictum eſt, quia omnes qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente, non fiunt. Et ſi quo alio modo illa verba apoſtolica intelligi poſſunt, ut tamen huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos, volentibus hominibus, ſed Deo nolente, ſalvos non fieri, contraria eſſe non poſſint.

II. Lib. 4. contra Julian. c. 8. n. 42. to. 10. hæc iterum de iiſdem affirmat parvulis: *Quibus dicere non poteſt: volui, & noluiſtis, quia ſi voluiſſet, quis eorum qui nondum habent ſuæ voluntatis arbitrium, voluntati ejus omnipotentiſſimæ reſtitiſſet?*

III. Eodem l. 4. contra Julian. cap. 8. n. 45. tom. 10. *Si hoc profundius eſſe perſpicis, quam abs te valeat inveniri, utrumque utrique noſtrum profundum ſit: Cur & in majoribus, & in minoribus Deus velit alteri, & nolit alteri ſubvenire.*

IV. Lib. 6. contra Julian. cap. 4. n. 43. tom. 10. *Quod multo eſt mirabilius, aliquando adoptat in filium, quem format in utero immundiſſimæ fœminæ; & aliquando non vult eſſe ſuum filium, quem format in utero ſuæ filiæ. Ille quippe ad baptiſmum neſcio quâ proviſione pervenit, iſte repentina morte non pervenit.*

V. Lib. de Correp. & Grat. c. 8. n. 18. tom. 10. hæc de parvulis decedentibus ſine baptiſmo iterum repetit. *Quibus utique ſi vellet, hujus lavacri gratiam procuraret, in cujus poteſtate ſunt omnia.*

VI. Ad Sixt. Epiſt. 194. cap. 7. n. 32. to. 2. *Providentia Dei non conſulit omnibus parvulis filiorum ſuorum, & nonnullis conſulit etiam parvulis impiorum.*

VII. Ex S. Proſper. ad S. Auguſt. Epiſt. 225. n. 6. to. 2. dogma fuit hoc Semipelagianum: *Quantum ad Deum pertinet omnibus paratam vitam æternam.*

VIII. Ex eodem ad eumdem S. Aug. eadem Epiſt. 225. n. 3. to 2. hæc de Gallis Semipelagianis narrantur. *Hæc enim ipſorum definitio, & profeſſio eſt: Omnem quidem hominem, Adam peccante, peccaſſe; & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regeneratione ſalvari. Univerſis tamen hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento Sanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam.*

VE-

Digitized by Google

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Deus parvulis omnibus præparaverit ſufficientia media ad ſalutem. Ratio autem interpretandi pro hac ſententia S. Auguſtini mentem, ſequentes ſunt ejuſdem S. Doctoris definitiones.

I. Lib.6.contra Julianum negantem peccatum originale cap.4. num. 8. to. 10. ita exponit Apoſtoli ſententiam: *Ex hoc probavit omnes mortuos eſſe, quia pro omnibus mortuus eſt unus. Impingo, inculco infercio recuſanti. Accipe, ſalubre eſt: Nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt. Vide quia conſequens eſſe voluit, ut intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt;*

Ergo ex S. Auguſtino ex eo quod Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, infertur optime cum Apoſtolo, omnes prorſus originaliter mortuos eſſe, adeoque & parvulos decedentes ſine baptiſmo; ſed ex eo quod Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, exceptis parvulis decedentibus ſine baptiſmo, peſſimè infertur quod parvuli decedentes ſine baptiſmo originaliter mortui ſint; quare ex S. Auguſtino etiam pro parvulis decedentibus ſine baptiſmo Chriſtus Dominus mortuus eſt; adeòque ex S. Auguſtino etiam parvulis decedentibus ſine baptiſmo morte ſua Chriſtus Dominus promeruit ſufficientia media ad ſalutem.

II. Lib. 4. contr. Julianum cap.8. num. 42.tom.10.hæc habet de parvulis: *Nunquid homines non ſunt, ut non pertineant ad id quod dictum eſt: Omnes homines vult ſalvos fieri?*

Sed parvuli decedentes ſine baptiſmo homines ſunt; quare ex S.Doctore pertinent ad id quod dictum eſt: omnes homines vult ſalvos fieri; adeoque ex S. Auguſtino parvulis decedentibus ſine baptiſmo præparavit Deus ſufficientia media ad ſalutem, quæ neceſſario conſequuntur hanc Dei voluntatem ſalvandi parvulos.

III. Eodem loco, videlicet Lib.4.contr.Julianum cap.8.num.42. to. 10. hæc iterum ſic diſputat de iiſdem parvulis: *Cur Deus qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, tàm multos in regnum ſuum, ubi eſt certa veritatis agni-*

Digitized by Google

agnitio, qui nullo ei reſiſtunt voluntatis arbitrio, patitur non venire?

Ergo ex S. Auguſtino, cum certa atque explorata Dei voluntas ſit circa omnium ſalutem hominum: ac proinde circa ſalutem omnium etiam parvulorum, inveſtiganda ratio eſt non adeo obvia atque explorata, qua concilietur hæc Dei voluntas cum eo, quod permittat Deus tam multos parvulos ſalvos non fieri; quare ex S. Auguſtino etiam parvulis decedentibus ſine baptiſmo providit Deus ſufficientia media ad ſalutem, quæ conſequuntur univerſalem hanc Dei voluntatem.

IV. Serm. 174. de Verb. Apoſtol. cap. 5. num. 6. to. 5. *Humanus ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere, magnos, puſillos, peccatores ſalvos facere. Venit filius hominis quærere, & ſalvare quod perierat;*

Ergo ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus venit in mundum peccatores ſalvos facere, adultos, & parvulos, omnes homines quotquot perierunt in Adam; ſed parvuli decedentes ſine baptiſmo perierunt in Adam; quare ex S. Auguſtino ſalvare venit etiam parvulos decedentes ſine baptiſmo; ac proinde etiam illis providit Deus ſufficientia media ad ſalutem.

V. Lib. 5. contra Julianum cap. 1. num. 3. tom. 10. *Sententia noſtra nec deformis eſt, quia ſpecioſum formâ præ filiis hominum Salvatorem prædicat omnium hominum, ac per hoc etiam parvulorum;*

Ergo ex S. Auguſtino ideo Chriſtus Dominus Salvator eſt parvulorum, quia omnium hominum Salvator eſt; ſed parvuli decedentes ſine baptiſmo homines ſunt; quare ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus Salvator eſt de ſe parvulorum etiam decedentium ſine baptiſmo; adeoque providit & illis ſufficientia media ad ſalutem.

VI. Lib. 2. de Nuptiis, & Concup. cap. 33. num. 56. to. 10. *Eos dicimus reos, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Cur ergo pro illis Chriſtus mortuus eſt, ſi non ſunt rei?.. Parvuli quomodo rei non ſunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt?*

Ergo ex S. Auguſtino hac de cauſa Chriſtus Dominus pro par-

parvulis mortuus eſt, quia rei ſunt propter peccatum originale; ſed hæc cauſa communis eſt omnibus omninò parvulis, etiam iis qui decedunt ſine baptiſmo; ergo ex S. Auguſtino etiam prò parvulis decedentibus ſine baptiſmo Chriſtus Dominus mortuum eſt; adeoque impetravit & illis ſufficientia media ad ſalutem.

VII. Eodem lib. 2. de Nuptiis. & Concup. cap. 33. n. 56. to. 10. *Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Puto quod ità dicat Chriſtum traditum pro omnibus nobis, ut in hac cauſa parvuli non ſeparentur à nobis.*

Ergo ex S. Auguſtino ideò parvuli non ſunt ſeparandi ab adultis in beneficio redemptionis univerſalis, quia peccatum originale eſt cauſa communis parvulis, & adultis; ſed idem peccatum originale eſt cauſa communis parvulis decedentibus ſine baptiſmo, & parvulis decedentibus cum baptiſmo; ergò ex S. Auguſtino parvuli decedentes ſine baptiſmo non ſunt ſeparandi à parvulis decedentibus cum baptiſmo in beneficio redemptionis univerſalis; ac proinde & ipſis ſunt præparata ſufficientia media ad ſalutem, effectus neceſſario conſequens hujuſmodi beneficium.

VIII. Lib. 3. contra Julian. cap. 25. n. 58. to. 10. *Etiam pro parvulis mortuus eſt, quia & ad ipſos pertinet ſanguis, qui in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, à quo illos ſanguine facitis alienos, cum eos negatis trahere originale peccatum.*

Ergo ex S. Auguſtino non ſunt alienandi parvuli à Sanguine Chriſti Domini, quia trahunt originale peccatum; ſed etiam parvuli decedentes ſine baptiſmo trahunt originale peccatum; ergo ex S. Auguſtino parvuli decedentes ſine baptiſmo non ſunt alienandi à Sanguine Chriſti Domini; ac proinde ex S. Auguſtino etiam pro parvulis decedentibus ſine baptiſmo Chriſtus Dominus fudit ſanguinem; adeoque ex S. Doctore ſui Sanguinis pretio comparavit & illis ſufficientia media ad ſalutem.

IX. Lib. 20. de Civ. Dei cap. 6. n. 1. to. 7. *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſive originalibus, ſivè etiam voluntate additis, vel ignorando, vel ſcien-*

do, nec faciendo quod juſtum eſt; & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus, ideſt, nullum habens omnino peccatum.

Ergo ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus mortuus eſt pro omnibus omnino mortuis propter peccatum vel originale, vel perſonale, *nemine prorſus excepto*; ſed parvuli decedentes ſine baptiſmo mortui ſunt omnes propter peccatum originale; ergo ex S. Auguſtino pro parvulis omnibus decedentibus ſine baptiſmo Chriſtus Dominus mortuus eſt; ac proindè & illis morte ſua obtinuit ſufficientia media ad ſalutem.

Quæ autem, & qualia ſint hujuſmodi media ſufficientia ad ſalutem, quæ Deus præparavit parvulis qui inexpiati ab originalis peccati labe ex hac vita decedunt, non conſentiunt inter ſe Theologi. Sunt qui docent Deum alligaſſe parvulorum ſalutem, atque baptiſmi conſecutionem ſanctis parentum, vel proparentum operibus, & ad hunc finem parentibus, vel proparentibus conferre auxilia, quibus ſi benè utantur, proculdubio parvulos ſuos baptizatos tranſmittent ad æternam ſalutem; quod ſi non contingat, id derivare ex auxiliorum abuſu, quæ Deus ad hunc finem parentibus, vel proparentibus contulit. Alii vero opinantur Deum præparaſſe baptiſmum, ejuſdemque conſecutionem parvulis omnibus decedentibus etiam ſine baptiſmo, & ſeriò ac ſincerè velle, voluntate quam vocant *antecedentem*, omnes parvulos pervenire ad baptiſmum, niſi illius conſecutio aliunde impediatur à naturalibus cauſis mortem exigentibus parvulorum. Hæc autem naturalia impedimenta ſi adſint, Deus non ordinat ad perditionem parvulorum, ſed ad alios occultos fines ſuæ Providentiæ. Hujuſmodi vero impedimenta nec poteſt, nec debet Deus removere juxtà leges Providentiæ ordinariæ, & ut Proviſor Univerſalis ordinans curſum cauſarum ſecundarum cum omnibus ſuis circumſtantiis ad univerſale bonum, & regimen Univerſi.

Ad primum ergò dicendum, Deum ex S. Auguſtino nolle multos parvulos fieri ſalvos; ſed voluntate conſequente impedimenta ſalutis à Deo præviſa, quæcumque fuerint hujuſmodi impedimenta, juxta diverſa Theologorum placita, quæ ſupra attigimus. At voluntate antecedente præviſionem talium impedi-

pedimentorum velle ſalutem omnium penitus parvulorum, & voluntate eadem velle illis ſufficientia media ad conſequendam ſalutem. Sic enim habet S. Doctor lib 4. contra Julian. cap. 8. n. 42. to. 10. *Nunquid homines non ſunt parvuli, ut non pertineant ad id quod dictum eſt: Omnes homines vult ſalvos fieri?*

Ad ſecundum dicendum ſimiliter, quod ex S. Auguſtino Deus non vult voluntate conſequenti parvulos decedentes ſine baptiſmo ſalvos fieri. At ſalvos fieri vult voluntate antecedenti: Siquidem eodem lib. 4. contra Julian. c. 8. n. 42. to. 10. inquit: *Cur Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, tam multos in regnum ſuum, qui nullo ei reſiſtunt voluntatis arbitrio, patitur non venire?*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino Deus, & in majoribus, & in minoribus vult alteri, & non vult alteri ſubvenire voluntate conſequenti, & per ſubſidia efficacia. At voluntate antecedenti, & per ſubſidia ſufficientia omnibus prorſus vult ſubvenire, & majoribus, & minoribus. Quod eruitur ex Serm. 174. De Verbis Apoſtoli cap. 5. n. 6. tom. 5. *Humanus ſermo, & omni acceptione dignus; quia Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere, magnos, puſillos, peccatores ſalvos facere. Venit Filius hominis quærere, & ſalvare, quod perierat.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino parvulum, quem format in utero ſuæ filiæ, non vult Deus eſſe ſuum filium voluntate, quam toties recenſuimus, conſequenti; ſed vult eſſe ſuum filium voluntate altera, videlicet, antecedenti.

Ad quintum ſimiliter dicendum, quod ex S. Auguſtino Deus non vult aliquibus parvulis baptiſmi gratiam procurare, voluntate utique conſequente, quam procurare illis vult voluntate dumtaxat antecedente.

Ad ſextum dicendum, quod ex S. Auguſtino Providentia Dei conſequens non conſulit omnibus parvulis filiorum ſuorum, quibus tamen conſulit antecedens Providentia Dei: Ut conſtat ex Lib. 2. de Nupt., & Concup. c. 33. n. 56. tom. 10. per hæc verba: *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Puto quod ita dicat Chriſtum traditum*

prò omnibus nobis, ut in hac cauſa parvuli, non ſeparentur a nobis.

Ad ſeptimum dicendum, quod ex S. Proſpero Dogma fuit Semipelagianum: Quantum ad Deum pertinet omnibus, indifferenter dumtaxat & univerſaliter, paratam vitam æternam; adeò ut nullam prorſus habeat Deus voluntatem præcipuam, ac peculiarem erga ſalutem eorum qui ſalvi fiunt, privativè quoad ſalutem eorum qui pereunt. Siquidem Semipelagiani, præter voluntatem Dei univerſalem, indifferentem, & antecedentem quoad ſalutem omnium hominum, non admittebant ullam in Deo voluntatem peculiarem & prædilectivam erga prædeſtinatos. Refert enim ibidem n. 3. de Gallis Semipelagianis quod affirmaverint. *Propoſitum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipſa conditione generis humani, eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta diſcretio, ut ſecundum quod placuit Creatori, alii vaſa honoris, alii vaſa contumeliæ ſint creati, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre.*

Ad octavum dicendum, quod ex S. Proſpero docebant Semipelagiani loco citato: *Univerſis hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento Sanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam, ut quicumque ad fidem, & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint. Qui autem credituri ſunt, quivè in ea fide, quæ deinceps ex Dei gratia ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros præviderit.* In his autem verbis quatuor latent Semipelagianorum errores. I. eſt: Omnibus prorſus hominibus Sacramentum baptiſmi, indifferenter dumtaxat, eſſe propoſitum, & quidem mediis dumtaxat naturalibus comparandum, abſque interiori gratia ſuperna: quod expreſſius detegitur ex ſuperioribus verbis ejuſdem Epiſtolæ ſub num. 4. videlicet. *Ad hoc ſalutis donum omnes homines univerſaliter, ſivè per naturalem, ſivè per ſcriptam legem, ſivè per Evangelicam prædicationem, vocari.* Ubi nulla fit mentio interioris gratiæ. II. Initium fidei eſſe ex viribus dumtaxat noſtris

non

Digitized by Google

non præventis auxilio interioris gratiæ. III. Perſeverantiam finalem in Fide & bonis operibus eſſe pariter ex viribus dumtaxat noſtris non præventis auxilio interioris gratiæ. IV. Deum prædeſtinare homines ex prævišis meritis naturalibus fidei, & perſeverantiæ, per ſolas naturæ vires comparandis, non emanantibus ab ullo auxilio interioris gratiæ.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Unus mortuus eſt pro omnibus, qui mortui ſunt.* (b) *Omnes itaque mortui ſunt in peccatis, nemine prorſus excepto, ſivè originalibus, ſivè etiam voluntate additis, & pro omnibus mortuis vivus mortuus eſt unus.* (c) *Ergo & pro omnibus prorſus parvulis. Nunquid enim homines non ſunt parvuli, ut non pertineant ad id quod dictum eſt: Omnes homines vult ſalvos fieri?* (d) *Attamen Deus, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, tam multos in regnum ſuum, qui nullo ei reſiſtunt voluntatis arbitrio, patitur non venire.* (e) *Quanquam Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere, magnos, puſillos, peccatores ſalvos facere. Venit Filius hominis quærere, & ſalvare quod perierat.* (f) *Hæc ſententia deformis non eſt, quia ſpecioſum forma præ filiis hominum Salvatorem prædicat omnium hominum, ac per hoc etiam parvulorum.* (g) *Quos dicimus reos pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Cur enim pro illis Chriſtus mortuus eſt, ſi rei non ſunt? Parvuli quomodo rei non ſunt, prò quibus Chriſtus mortuus eſt?* (h) *Qui enim proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum, puto quod in hac cauſa parvuli non ſeparentur à nobis.* (i) *Ergo etiam pro parvulis mortuus eſt Chriſtus, quia & ad ipſos pertinet Sanguis, qui in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, à quo illos ſanguine facitis alienos, cum eos negatis trahere originale peccatum.* Hactenus ex S. Auguſtino.

QUÆ-

(*a*) Libr. *6.* contra Julian. cap. 4. num. 8. tom. 10. (*b*) Lib. 20. de Civit. Dei cap. *6.* num. 1. tom. 7. (*c*) Lib. 4. contra Julian. cap. 8. n. 42. tom. 10. (*d*) Lib. 4. contra Julian. cap. 8. n. 42. tom. 10. (*e*) Serm. 174. de verb. Apoſtol. cap. *5.* num. *6.* t. *5.*

Digitized by Google

(*f*) Lib. 5. contrà Julian. cap. 1. num. 5. tom. 10. (*g*) Lib. 2. de Nupt. & Concupiſc. cap. 33. num. 57. to. 10. (*h*) Lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 33. num. 56. tom. 10. (*i*) Lib. 3. contra Julianum cap. 25. num. 58. tom. 10.

QUÆSTIO IV.

De Gratia Inefficaci in duos Articulos diſpertita.

Diſputatum eſt in ſuperiori quæſtione de divina gratia neceſſaria ſimul & ſufficienti, quæ auctore Auguſtino, illud eſt Dei adjutorium, & quo poſſumus, & ſine quo non poſſumus boni aliquid agere, quod nos provehat ad ſempiternam felicitatem. Nunc autem agendum eſt de gratia prorſus inefficaci, quam definimus eſſe adjutorium illud, quo quidem Dei munere poſſumus, ſed vitio noſtro nolumus boni aliquid agere, ex quo conſequatur noſtra felicitas ſempiterna. Duo igitur ſeſe offerunt examinanda in hac quæſtione de gratia inefficaci. Primum eſt: Utrum ex S. Auguſtino detur nunc interior gratia prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur? Alterum eſt: Utrum ex S. Auguſtino gratia hujuſmodi inefficax ſit in ſe utilis, & beneficium Dei?

ARTICULUS I.

Utrum ex S. Auguſtino detur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur?

Videtur quod ex S. Auguſtino non detur nunc gratia prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur: Quod confici ex ſubjectis ſententiis ita videtur.

I. Lib. de Grat. Chriſti cap. 41. n. 45. to. 10. aſſerit Sanctus Doctor gratiam poſſibilitatis meræ, per quam datur mera poteſtas, eſſe illam eamdem, quam tuebatur Pelagius. *Ab illo ſuo manifeſto dogmate non recedit omnino, ubi tria illa*

Digitized by Google

illa conſtituit, poſſiblitatem, voluntatem, actionem.

II. Lib. de Correp. & Gratia cap. 11. num. 30. tom. 10. docet gratiam neceſſariam naturæ innocenti fuiſſe lætiorem; gratiam verò naturæ lapſæ neceſſariam eſſe potentiorem; adeoque non aliam eſſe, quam efficacem. *Proinde etſi non interim lætiore nunc; verumtamen potentiore gratia indigent iſti.*

III. Lib. 2. de Peccat. Merit. & Remiſs. cap. 18. num. 32. to. 10. Gratiam præſentis ſtatus appellat victricem delectationem, quæ non eſt niſi gratia efficax: *Deum ſanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem.*

IV. Lib. de Spir. & Lit. cap. 29. n. 51. to. 10. hoc idem repetit: *Inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.*

V. Serm. 42. de Verb. Iſaiæ cap. 3. tom. 5. hæc de multiplici Dei Liberatoris gratia: *Quomodo te à te liberat? Dimittendo peccata, donando merita, dando tibi vires pugnandi adverſus concupiſcentias tuas, inſpirando virtutem, dando menti tuæ cæleſtem delectationem, qua omnis terrena delectatio ſuperetur.*

VI. Lib. de Grat. Chriſti cap. 13. n. 14. to. 10. ſic explicat naturam gratiæ: *Hæc gratia ſi doctrina dicenda eſt, certè ſic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili ſuavitate credatur infundere.... ita ut non oſtendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat caritatem.*

VII. Lib. 4. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 6. n. 15. to. 10. *Nos quidem ambulamus, verum eſt, nos obſervamus, nos facimus; ſed ille facit, ut ambulemus, ut obſervemus, ut faciamus.*

VIII. Ad Vital. Epiſt. 217. cap. 4. num. 12. to. 2. *Non ergo gratiam dicamus eſſe doctrinam, ſed agnoſcamus gratiam, quæ facit prodeſſe doctrinam.*

IX. Lib. de Prædeſt. SS. cap. 8. num. 13. tom. 10. *Quid eſt omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me? Niſi nullus eſt qui audiat & diſcat à Patre, & non veniat ad me. Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit; profecto omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit. Nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret; Neque enim ullus audivit & didicit,*

& non

& non venit; ſed omnis, ut ait veritas, qui audivit à Patre & didicit, venit.

X. Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 17. n. 33. to. 10. *Ut ergo velimus ſine nobis operatur. Cum autem volumus, & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur. Tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

XI. Serm. 17. in Pſal. 118. n. 3. to. 4. *Cum itaque alia ſint quæ ideo diſcimus, ut tantummodo ſciamus; alia vero, ut etiam faciamus; quando Deus ea docet, ſic docet ut ſcienda ſciamus, aperiendo veritatem; ſic docet ut facienda faciamus, inſpirando ſuavitatem.*

XII. Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. num. 22. tom. 6. *Voluntas ipſa, niſi aliquid occurrerit quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo poteſt.*

XIII. Eodem Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. num. 13. tom. 6. *Non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit.*

XIV. Lib. de Correp. & Grat. cap. 12. num. 38. tom. 10. ita ſecernit gratiam naturæ lapſæ, à gratia naturæ ſtantis: *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.... Fortiſſimo quippe dimiſit, atque permiſit facere quod vellet. Infirmis ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſime quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſime nollent.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum quod ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur. Audiatur S. Doctor locuples propoſitæ ſententiæ aſſertor.

I. Lib. 5. contra Jul. c.4. n. 14. t. 10. hæc affirmat. *Non omnes qui vocati ſunt, ſecundum propoſitum vocati ſunt. Multi enim vocati, pauci vero electi. Qui ergo electi, hi ſecundum propoſitum vocati;* . . . .

Sed

Digitized by Google

Sed electorum vocatio, quæ eſt ſecundum propoſitum Prædeſtinantis Dei, eſt interior gratia efficax, cui non reſiſtitur: reproborum autem vocatio, quæ non eſt ſecundum propoſitum Prædeſtinantis Dei, eſt interior gratia prorſus inefficax, cui reſiſtitur; ergo ex S. Auguſtino datur nunc interior gratia prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

II. Lib. de Præd. SS. cap. 16. num. 33. tom. 10. *Non enim vocatione illa vocati ſunt, de qua dictum eſt: Multi vocati; ſed illa qua vocantur electi;*

Sed vocatio illa, qua vocantur electi, eſt efficax gtatia interior, cui non reſiſtitur ab electis; ergò ex S Auguſtino vocatio illa, qua vocantur non electi ſeu reprobi, eſt interior gratia prorſus inefficax, cui à reprobis reipſa reſiſtitur.

III. Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. num. 10. tom. 6. *Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi: Utique hi, qui vocantem non contemſerunt, ſed credendo ſecuti ſunt;*

Sed vocatio illa ſub qua electi vocantem Deum non contemſerunt, ſed credendo ſecuti ſunt, eſt efficax gratia interior, cui electi non reſtiterunt; ergò ex S. Auguſtino vocatio illa, ſub qua reprobi vocantem Deum contemſerunt, nec credendo ſecuti ſunt, eſt prorſus inefficax gratia interior, cui reipſa reprobi reſtiterunt.

IV. Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. num. 13. tom. 6. *Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui ſecuti ſunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem pervenit, ſed quia talis fuit, quâ moveri non poſſent, nec eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi;*

Sed vocatio, tali modo afficiens electos, quomodo aptum eſt eis qui vocationem ſecuntur, eſt efficax gratia interior, cui non reſiſtunt electi; ergo ex S. Auguſtino vocatio tali modo afficiens reprobos, quomodo non ſunt apti ut vocationem capiant, & ab ea moveantur, eſt prorſus inefficax gratia interior, cui reipſa reſiſtunt reprobi.

V. Eodem loco, videlicet Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. num. 13. tom. 6. *Verum eſt ergo multi vocati, pauci electi. Illi enim*

electi, qui congruenter vocati. Illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati;

Sed vocatio illa, cui congruunt, contemperantur, quamque ſequuntur electi, eſt efficax gratia interior, cui non reſiſtunt; ergo ex S. Auguſtino vocatio illa, cui non congru unt, non contemperantur, quamque non ſequuntur reprobi, eſt prorſus inefficax gratia interior, cui reipſa reſiſtunt.

VI. Lib. 5. Quæſt. ſupra Deut. qu. 15. num. 4. tom. 3. *Infideles non contemperantur adjutorio gratiæ; ſed ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*;

Sed adjutorium gratiæ, cui non contemperantur infideles, eſt prorſus inefficax gratia interior, cui reipſa reſiſtunt; ergo ex S. Auguſtino datur nunc prorſus inefficax gratia interior, cui reipſa reſiſtitur.

VII. Lib. de Præd. SS. cap. 16. num. 32. tom. 10. *Vocat Deus prædeſtinatos multos filios ſuos ... non ea vocatione, quâ vocati ſunt, & qui noluerunt venire ad nuptias*;

Sed vocatio Dei, quâ vocati noluerunt venire ad nuptias, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui reſtiterunt; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

VIII. Lib. 1. ad Simpl. quæſt. 2. num. 10. tom. 6. *Nemo credit non vocatus; ſed non omnis credit vocatus*;

Sed vocatio, ſub qua vocatus non credit, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui vocatus reſiſtit, ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

IX. Lib. 83. Quæſt. qu. 68. num. 5. to. 6. *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; neque illi qui venerunt, venire poſſent niſi vocarentur...... qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur; ſic inchoat meritum ſupplicii, cum vocatus venire neglexerit*;

Sed vocatio illa, quâ vocati non venerunt, quam neglexerunt,

xerunt, quâ noluerunt venire ad ſupernas nuptias, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui reſtiterunt; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

X. Enarrat. 2. in Pſal. 32. num. 11. to. 4. *Miſeretur Deus, conſiderat imaginem ſuam, fragilitatem noſtram, errorem noſtrum, cæcitatem noſtram, & vocat: & converſis ad ſe donat peccata, non converſis non donat*;

Sed vocatio Dei, ſub qua aliqui non convertuntur, quibus Deus peccata non donat, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XI. Serm. 2. in Pſal. 101. n. 6. tom. 4. *Ille vocat, nos reſpondemus, non voce ſed fide, non lingua ſed vita. Si enim vocat te Deus, & præcipit ut bene vivas, & tu male vivis, vocationi ejus non reſpondes... Vocata eſt Jeruſalem, & prima Jeruſalem noluit audire... Clamat, & non reſpondetur. Pluitur deſuper, & pro fructu ſpinæ proferuntur. At illa Jeruſalem, de qua ſcriptum eſt: Lætare ſterilis quæ non paris... reſpondit ei. Quid eſt reſpondit ei? Non contemſit vocantem. Quid eſt reſpondit ei? Ille pluit, illa fructum dedit*;

Sed Dei vocatio ad fidem & ad pietatem, cui non reſpondetur, ſub qua audire negligitur, ſub qua male vivitur, & ſub illa, pro fructu bonorum operum, ſpinæ malorum operum proferuntur, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XII. Serm. 1. in Pſal. 113. n. 13. to. 4. *In ſua miſericordia vocavit impios, & in veritate judicat eos, qui vocati venire noluerunt*;

Sed vocatio miſerentis Dei, ſub qua impii vocati venire noluerunt, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur; ergo ex S. Doctore datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XIII. Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. n. 60. to. 10. *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet: Cur*

Digitized by Google

illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; illi autem non ita? Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat. O Altitudo Divitiarum! Et nunquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptiores;

Sed gratia illa, quâ ita à Deo ſuadetur aliquibus fides aut pietas, ut eis non perſuadeatur, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XIV. Lib. 14. de Trinit. cap. 15. n. 21. tom. 8. *Qui verò non operatur, & tamen videt quid operandum ſit, ipſe eſt qui ab illa luce avertitur, à qua tamen tangitur*;

Sed lux illa, à qua tangitur, & ab ea avertitur ille, qui videt, & non operatur quod eſt operandum, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XV. In Pſal. 51. num. 10. tom. 4. *Noluit intelligere ut bene ageret. Non enim dictum eſt: Non potuit; ſed noluit, inquit, intelligere ut benè ageret. Clauſit oculos à luce præſenti*;

Sed lux illa, ad cujus præſentiam clauduntur oculi, ſub qua adeſt quidem poteſtas, ſed deeſt bene agendi voluntas, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XVI. Lib. 1. de Peccat. Merit. & Remiſs. c. 17. n. 26. t. 10. *Nolunt homines facere quod juſtum eſt, ſivè quia latet, ſivè quia non delectat... Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo*;

Sed Dei gratia de ſe aperiens quod latebat, & ſuave faciens quod non delectabat, quâ homines culpa dumtaxat ſuâ non adjuvantur, eſt interior gratia prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XVII.

XVII. Lib. de Spir. & Lit. cap. 33. n. 58. to. 10. *Ille igitur reus erit ad damnationem ſub poteſtate ejus, qui contemſerit ad credendum miſericordiam ejus. Quiſquis autem crediderit, eique ſe à peccatis omnibus abſolvendum, & à vitiis omnibus ſanandum, & calore ac lumine ejus accendendum, illuminandumque commiſerit, habebit ex ejus gratia opera bona*;

Sed Miſericordia Dei, quæ ad credendum contemnitur, eſt ex gratia interiori prorſus inefficaci, cui reipſa reſiſtitur; ergo ex S. Aguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XVIII. Lib. 9. de Gen. ad Lit. cap. 14. n. 25. to. 3. *Anima rationalis, voluntatis arbitrio, vel conſentit viſis, vel non conſentit*;

Sed viſio interior, cui rationalis anima, voluntatis arbitrio, non conſentit, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui ab illa reſiſtitur; ergò ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XIX. In Pſal. 9. n. 1. to. 4. *Occultum judicium eſt pœna, quâ nunc unuſquiſque hominum, aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad converſionem, aut ſi contemſerit vocationem, & diſciplinam Dei, excæcatur ad damnationem*;

Sed Dei vocatio, quæ ab impio contemnitur, & in pœnam contemptus excæcatur ad damnationem, eſt gratia interior prorſus inefficax, cui ab illo reſiſtitur; ergo ex S. Auguſtino datur nunc interior gratia prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XX. Lib. 83. Quæſt. qu. 68. n. 5. tom. 6. hæc refert de Pharaone: *Nunquid ergo latebat Pharaonem quantum boni conſecutæ fuerint terræ illæ per adventum Joſephi? Illius ergo rei geſtæ cognitio vocatio ejus fuit, ut populum Iſrael miſericorditer tractans, non eſſet ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, ſed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas, & miſericordia debebatur, meruit pœnam, ut induraretur illi cor*;

Sed vocatio Dei propoſita ſub illius rei geſtæ cognitione alliciens Pharaonem ad miſericordiam, & gratitudinem, cui ille noluit

Digitized by Google

noluit obtemperare, & in poenam hujus reſiſtentiæ obduratus fuit, gratia erat interior prorſus inefficax, cui ille reſtitit; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

XXI. Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. n. 10. to. 6. hæc de Eſau commemorat: *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet; qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret; niſi vocatione contemta reprobus fieret;*

Sed Dei vocatio ab Eſau contemta, cujus beneficio poterat velle, currere, & ad æternam ſalutem pervenire, fuit gratia interior prorſus inefficax, cui reſtitit; ergo ex S. Auguſtino datur nunc gratia interior prorſus inefficax, cui reipſa reſiſtitur.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino gratia poſſibilitatis, hoc eſt poteſtatis, quam tuebatur Pelagius, nihil aliud erat quam natura ratione prædita, quæ cum ſit donum Dei, gratia Dei quidem eſt, ſed concluſa intra naturæ limites, ordinem ſupernum minimè attingens. Sic enim proſequitur Sanctus Doctor loco citato Pelagii ſententiam referens: *Ipſum auxilium, quo poſſibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege conſtituit, atque doctrina*: Et eodem Lib. de Grat. Chriſti cap. 4. num. 5. to. 10. hæc commemorat Pelagii verba: *Nos, inquit, ſic tria iſta diſtinguimus, & certum velut in ordinem digeſta partimur. Primo loco: Poſſe ſtatuimus. Secundo: Velle. Tertio: Eſſe. Poſſe, in natura: Velle, in arbitrio: Eſſe, in effectu.* Pariter Lib. de Natur. & Grat. cap. 51. num. 59. to. 10. hæc iterum recitat verba Pelagii: *Ipſa non peccandi poſſibilitas, inquit, non tam in arbitrii poteſtate, quam in naturæ neceſſitate eſt.*

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino gratia naturæ in Adamo ſtantis, fuit gratia pacis, propter pacatos naturæ innocentis motus, rectæ rationi placidiſſimè obtemperantes; hinc fuit gratia lætior. At gratia naturæ in Adamo lapſæ eſt gratia pugnæ, propter implacabiles naturæ vitiatæ motus, rectæ rationi pugnaciſſimè reluctantes. Hinc noſtra gratia eſt potentior.

Digitized by Google

tior. Audiatur S. Doctor loco citato ſub numero 29. ſic diſputans de utraque gratia, & ea quæ collata fuit Adamo in ſtatu innocentiæ,& ea quæ nunc confertur prædeſtinatis in ſtatu pœnitentiæ: *Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ ... atque in tali certamine laborantes, & periclitantes, dari ſibi pugnandi vincendique virtutem, per Dei gratiam poſcunt. Ille vero nulla tali rixa à ſe ipſo, adverſus ſeipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſuâ ſecum pace fruebatur. Proindè & ſi non interim lætiore nunc; verumtamen potentiore gratia indigent iſti.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino delectatio victrix eſt gratia efficax; ſed non omnis gratia ſtatus noſtri eſt hujuſmodi. Siquidem Lib. 5. contra Julian. cap. 4. num. 14. t. 10. habetur. *Non omnes qui vocati ſunt, ſecundum propoſitum vocati ſunt. Multi enim vocati, pauci vero electi. Qui ergo electi, hi ſecundum propoſitum vocati.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino ſuavitas gratiæ faciens plus delectare quod Deus præcipit, quam delectat quod caro impedit, eſt utique gratia efficax; ſed præter efficacem gratiam datur etiam ex S. Doctore gratia prorſus inefficax, ut ſupra demonſtratum eſt.

Ad quintum dicendum, quod ex S. Auguſtino cœleſtis delectatio, qua omnis delectatio terrena ſuperatur, proculdubio eſt efficax Dei gratia; ſed non omnis gratia præſentis ſtatus eſt hujus generis, teſte Auguſtino.

Ad ſextum dicendum, quod ex S. Auguſtino gratia interior infuſa ſuaviter, non oſtendens tantummodo veritatem; verum etiam impertiens caritatem, bonam, videlicet, voluntatem, eſt ſanè efficax Dei gratia; ſed præter gratiam hujuſmodi, datur etiam, auctore Auguſtino, gratia prorſus inefficax caritatem minimè impertiens.

Ad ſeptimum dicendum, quod ex S. Auguſtino Gratia, per quam Deus facit ut ambulemus, obſervemus, faciamus, gratia efficax profectò eſt; ſed præter hanc gratiam, datur ex eodem Auguſtino gratia prorſus inefficax, per quam ambulare, obſer-

obſervare, facere poſſumus, ſi velimus; ſed vitio noſtro nolumus.

Ad octavum dicendum, quod ex S. Auguſtino vera Chriſti gratia eſt interior illuſtratio atque inſpiratio, quæ quoties eſt efficax, prodeſſe facit exteriorem doctrinam, quam exteriorem doctrinam eſſe chriſtianam gratiam Vitalis Pelagianus prædicabat.

Ad nonum dicendum, quod ex S. Auguſtino vox illa & doctrina Patris, quam quiſquis audit & diſcit, illico ad Filium credendo venit, non eſt niſi gratia efficax, quam Deus Pater largitur ſanctis prædeſtinatis, de quibus agit S. Doctor loco citato, qui ſecundum propoſitum divinæ prædeſtinationis à Deo vocantur. Siquidem Lib. de Grat. Chriſti cap. 13. num. 14. to. 10. ſic explicat allegatam S. Joannis ſententiam de Sanctis Prædeſtinatis. *Tanquam hoc ſit certiſſimum indicium, quod a Deo didiceris, ſi id quod didiceris, feceris. Iſto modo ſunt omnes ſecundum propoſitum vocati.* Frequentiſſime autem Pelagianos redarguens Sanctus Doctor interiorem actualem gratiam negantes, exemplum adhibet efficacis gratiæ, cujus eſt manifeſtiſſimus index effectus, prætermiſſo exemplo inefficacis gratiæ, utpote quæ in effectu, quo caret hominis culpa, ſe ſe minimè manifeſtat.

Ad decimum dicendum, quod ex S. Auguſtino adverſus Pelagianos loco citato pugnante, nullum fit opus bonum ſinè Dei gratia præveniente ut velimus, & cooperante cum volumus, & ſic volumus ut faciamus; ſinè quâ, noſtris dumtaxat viribus, ad bona pietatis opera nihil valeamus.

Ad undecimum dicendum, quod ex S. Auguſtino gratia illa, quâ Deus ſic docet ut & ſcienda ſciamus, aperiendo veritatem; & facienda faciamus, inſpirando ſuavitatem, gratia efficax Dei eſt; ſed non proinde S. Doctor quia efficacem gratiam prædicat, negat inefficacem.

Ad duodecimum dicendum, quod ex Sancto Auguſtino cum voluntas moveatur ſub ratione boni, niſi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, profecto moveri nullo modo poteſt; ſed hujuſmodi delectatio atque allicientia aliquando eſt efficax

Digitized by Google

efficax, cui voluntas arbitrio ſuo obſecundat; aliquando ineſficax, cui arbitrio ſuo voluntas renititur.

Ad decimumtertium dicendum, quod ex S. Auguſtino effectus miſericordiæ Dei non poteſt ità eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtrà ille miſereatur ſi homo nolit, quod tunc contingeret, quando homo hæc duo ſimul inter ſe conciliaret atque conjungeret, Dei videlicet vocationem ſub præſcientia de conſenſu, & ipſum diſſenſum; quod fieri omnino non poteſt. Sic enim habet loco citato: *Nullius Deus fruſtrà miſeretur; cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*. At vocatio hujuſmodi ex Dei miſericordia profluens proculdubio efficax Dei gratia eſt; ſed non omnis Dei vocatio eſt hujuſmodi, auctore S. Auguſtino; ſic enim proſequitur loco citato. *Illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati*. Deinde ſic concludit ibidem n. 14. *Cum ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademque res ſæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam Fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob juſtificatus eſt?*

Ad decimumquartum dicendum, quod ex S. Auguſtino gratia Dei, qua voluntas humana indeclinabiliter & inſuperabiliter agitur, eſt interior gratia efficax, quæ donatur ſanctis prædeſtinatis finaliter perſeverantibus, ſignificatis per hæc ſubſequentia verba S. Doctoris cap. 13. *Hæc de his loquor, qui prædeſtinati ſunt in regnum Dei*, de quibus agit ibi S. Auguſtinus adverſus Pelagianos negantes interioris gratiæ neceſſitatem ad perſeverandum finaliter. Aliud eſt igitur, quod S. Auguſtinus Pelagianos redarguens, docuerit dari pro noſtro ſtatu interiorem Dei gratiam efficacem à tota natura, atque ab omnibus naturæ adminiculis ſegregatam: aliud autem longè diverſum, quod adverſus eoſdem docuerit, non aliam dari pro noſtro ſtatu interiorem Dei gratiam, præter efficacem. Primum eſt omninò exploratum: Alterum eſt penitus ab Eccleſia reprobatum ex Auguſtino; ut liquidò conſtat ex pluribus teſtimoniis S.D. ſuperius fusè productis.

Digitized by Google

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Non omnes qui vocati ſunt, ſecundum propoſitum vocati ſunt. Qui ergo electi, hi ſecundum propoſitum vocati.* (b) *Non enim vocatione illa vocati ſunt, de qua dictum eſt. Multi vocati; ſed qua vocantur electi.* (c) *Utique hi qui vocantem non contemſerunt, ſed credendo ſecuti ſunt.* (d) *Qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui ſequuti ſunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem pervenit; ſed quia talis fuit quá moveri non poſſent, nec eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt; ſed non electi.* (e) *Illi ergo electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi; quia non ſecuti, quamvis vocati.* (f) *Tales ſunt infideles, qui non contemperantur adjutorio gratiæ.* (g) *Vocat quidem Deus prædeſtinatos multos filios ſuos, ſed non ea vocatione, quá vocati ſunt, & qui noluerunt venire ad nuptias.* (h) *Nemo ergo credit non vocatus, ſed non omnis credit vocatus.* (i) *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt: qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur; ſic inchoat meritum ſupplicii, cum vocatus venire neglexerit.* (k) *Miſeretur enim Deus, conſiderat imaginem ſuam, fragilitatem noſtram, errorem noſtrum, cæcitatem noſtram, & vocat; & converſis ad ſe donat peccata; non converſis, non donat.* (l) *Si enim vocat te Deus, & præcipit ut benè vivas, & tu malè vivis, vocationi ejus non reſpondes. Vocata eſt Jeruſalem, & prima Jeruſalem noluit audire: clamat, & non reſpondetur; pluitur deſuper, & prò fructu ſpinæ proferuntur.* (m) *In ſua ergò miſericordia vocavit impios, & in veritate judicat eos, qui vocati venire noluerunt.* (n) *Quod ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet. Cur illi ita ſuadeatur ut perſuadeatur; illi autem non ita ſuadeatur ut perſuadeatur? Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo Divitiarum! Et: nunquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſiò iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed*

caveat

caveat ne inveniat præſumptiores. (o) *Qui ergo non operatur, & tamen videt quid operandum ſit, ipſe eſt qui ab illa luce avertitur, a qua tamen tangitur*. (p) *Noluit enim intelligere ut benè ageret. Non enim dictum eſt: Non potuit; ſed noluit, inquit, intelligere ut benè ageret, clauſit oculos a luce præſenti*. (q) *Nolunt ergò homines facere quod juſtum eſt, ſive quia latet, ſive quia non delectat. Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo*. (r) *Ille igitur reus erit ad damnationem ſub poteſtate ejus, qui contemſerit ad credendum miſericordiam ejus. Quiſquis autem crediderit, eique ſe a peccatis omnibus ſanandum, & calore ac lumine ejus accendendum, illuminandumque commiſerit, habebit ex ejus gratia opera bona*. (s) *Siquidem anima rationalis voluntatis arbitrio vel conſentit viſis, vel non conſentit*. (t) *Quod ſi contemſerit vocationem & diſciplinam Dei, excæcatur ad damnationem*. (u) *Sicut contigit Pharaoni; quia enim vocationi obtemperare noluit, ſed exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas & miſericordia debebatur, meruit pœnam, ut induraretur illi cor*. (x) *Similiter Eſau noluit & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemta reprobus fieret*. Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. 5. contra Julian. cap. 4. num. 14. to. 10. (b) Lib. de Præd. SS. cap. 16. nu. 33. to. 10. (c) Lib. 1. ad Simplic. qu. 2. nu. 10. to. 6. (*d*) Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. n. 13. to. 6. (*e*) Lib. 1. ad Simplic. q. 2. n. 13. to. 6. (*ſ*) Lib. 5. Quæſt. ſupra Deuter. q. 15. num. 4. to. 3. (*g*) Lib. de Prædeſtinat. SS. cap. 16. num. 32. tom. 10. (*h*) Lib. 1. ad Simplic. q. 2. n. 10. to. 6. (*i*) Lib. 83. Quæſt. qu. 68. n. 5. to. 6. (*k*) Enarr. 2. in Pſalm. 32. n. 11. to. 4. (*l*) Ser. 2. in Pſal. 101. n. 6. tom. 4. (*m*) Serm. 1. in Pſal. 113. num. 13. to. 4. (*n*) Lib. de Spir., & Lit. cap. 34. n. 60. to. 10. (*o*) Lib. 14. de Trinit. c. 15. n. 21. to. 8. (*p*) In Pſal. 51. num. 10. tom. 4. (*q*) Lib. 2. de Peccat. Merit. & Remiſs. c. 17. n. 26. tom. 10. (*r*) Lib. de Spir., & Lit. c. 33. n. 58. to. 10. (*ſ*) Lib. 9. de Gen. ad Lit. cap. 14. n. 25. to. 3. (*t*) In Pſal. 9. n. 1. t. 4. (*u*) Lib. 83. Quæſt. qu. 68. n. 5. to. 6. (*x*) Lib. 1. ad Simplic. q. 2. n. 10. to. 6.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax ſit in ſe utilis, & beneficium Dei?

Videtur, quod ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax non ſit in ſe utilis, nec beneficium Dei. Hæc enim docet

I. Lib. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 15. num. 31. tom. 10. *Tunc utile eſt velle, cum poſſumus; & tunc utile eſt poſſe, cum volumus. Nam quid prodeſt ſi quod non poſſumus, volumus; aut quod poſſumus, nolumus?*

II. Lib. de Grat. Chriſti c. 8. n. 9. to. 10. *Uſque adeo aliud eſt lex, aliud eſt gratia, ut lex non ſolum nihil proſit; verum etiam plurimum obſit, niſi adjuvet gratia.*

III. Ad Vital. Ep. 217. c. 4. n. 12. to. 2. *Non ergo gratiam dicamus eſſe doctrinam, ſed agnoſcamus gratiam quæ facit prodeſſe doctrinam, quæ gratia ſi deſit, videmus etiam obeſſe doctrinam.*

IV. Lib. 2. de Peccat. Mer. & Rem. cap. 19. n. 33. to 10. *Cum ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque juſtitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & ſuave faciat quod non delectabat?*

V. Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 6. num. 13. tom. 10. *Sed plane cum data fuerit, incipiunt eſſe etiam merita noſtra bona, per illam tamen; nam ſi ſe illa ſubtraxerit, cadit homo non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio.*

VI. Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. nu. 13. to. 6. *Cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei; Hæc autem propoſitio multo Auguſtinianarum ſententiarum comitatu ſtipata ita progreditur.

I. Serm.

I. Serm.306.cap 2. num.2. to.5. *Non eſt in hominis poteſtate, quo exitu hanc vitam finiat; ſed eſt in hominis poteſtate quomodo vivat, ut ſecurus vitam finiat. Neque hoc in poteſtate eſſet, niſi dediſſet Dominus poteſtatem filios Dei fieri*;

Ergo ex S. Auguſtino omnes homines, ac proindè etiam reprobi, poteſtatem à Deo accipiunt ut filii Dei fiant, ut juſtè vivant, ut hanc vitam ſecurè finiant; ſed poteſtas hujuſmodi utilis eſt, & beneficium Dei; ergo gratia, in qua reſidet hæc poteſtas, utilis eſt, & beneficium Dei; ſed gratia hujuſmodi eſt in reprobis prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax utilis eſt, & beneficium Dei.

II. In Pſal.120. num.11. tom.4. *Nihil arbitror intelligi congruentius, niſi ut intelligamus manum dexteræ poteſtatem, quam tibi dedit Deus, ut ſi velis, donante Deo, ad dexteram ſis... Ut autem ſis ad dexteram, ideſt, ut poſſis Dei filius fieri, poteſtatem accepiſti. Quam poteſtatem? De qua dicit Joannes: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*;

Ergo ex S. Auguſtino mali homines, qui nolunt ad dexteram eſſe, qui fieri nolunt filii Dei, adhuc tamen habent à Deo poteſtatem ut ſint ad dexteram, ut ſint filii Dei; ſed poteſtas hujuſmodi eſt in ſe utilis, & beneficium Dei; ergo gratia, quæ ſecum affert hanc poteſtatem, eſt in ſe utilis, & beneficium Dei; ſed gratia hujuſmodi, in malis hominibus ea munera reſpuentibus, eſt prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

III. Lib.2. de Peccat. Mer. & Rem. cap.17. num.26. tom.10. *Cum voluntatem humanam gratia divina adjuvante, ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſum facillimè & veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt*;

Ergo ex S. Auguſtino habent homines gratiam, per quam poſſunt eſſe in hac vita ſine peccato, nec ſunt, quia nolunt; ſed gratia quam habent homines, quatenus per illam poſſunt in hac vita eſſe ſine peccato, eſt in ſe utilis, & beneficium Dei; quatenus vero nolunt per illam eſſe ſine peccato, eſt prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

IV. Lib.

Digitized by Google

IV. Lib. de Spir. & Lit. cap. 33. num. 58. to. 10. *Ille igitur reus erit ad damnationem ſub poteſtate ejus, qui contemſerit ad credendum miſericordiam ejus*;

Ergo ex S. Auguſtino contemnitur à damnandis gratia ad credendum, quæ eſt opus miſericordiæ Dei; ſed quatenus gratia ad credendum eſt opus miſericordiæ Dei, eſt utilis, & beneficium Dei; quatenus verò a damnandis contemnitur, eſt prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

V. Serm. 149. cap. 17. num. 18. tom. 5. *Facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos, invitans utique ad pœnitentiam per patientiam, ut qui neglexerint ejus bonitatem, experiantur in fine ſeveritatem*;

Ergo ex S. Auguſtino negligitur à damnandis gratia invitans ad pœnitendum, opus patientiæ & bonitatis Dei; ſed quatenus gratia invitans ad pœnitendum eſt opus patientiæ, & bonitatis Dei, eſt in ſe utilis, & beneficium Dei; quatenus verò à damnandis negligitur, eſt prorſus inefficax; ergo ex Sancto Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

VI. Serm. 1. in Pſalm. 113. num. 13. tom. 4. *In ſua miſericordia vocavit impios, & in veritate judicat eos, qui vocati venire noluerunt*;

Sed vocatio, qua Deus in ſua miſericordia vocat impios, eſt gratia in ſe utilis, & beneficium Dei; quia vero per illam impii vocati venire nolunt, eſt gratia prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

VII. In Pſal. 102. num. 16. tom. 4. *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam... vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis, longanimis, & multùm miſericordiæ; ſed obſerva ne multitudine miſericordiæ Dei malè utendo, tu tibi theſaurizes, ut ait Apoſtolus, iram in die iræ*;

Sed gratia, qua Deus per intimam cogitationem vocat undique ad correctionem & pœnitentiam, eſt in ſe utilis, & beneficium

neficium Dei; dum autem peccator ea malè utitur, eſt illi prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

VIII. Lib. 83. Quæſt. qu. 68. num. 5. tom. 6. *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt; nec illi qui venerunt, venire poſſent niſi vocarentur. Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cum vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa: Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Ad miſericordiam pertinet vocatio, ad judicium pertinet beatitudo eorum qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum qui noluerunt venire;*

Sed gratia, quâ Deus vocat ad myſticam illam cœnam, ad Dei pertinens miſericordiam, eſt in ſe utilis, & beneficium Dei; dum autem negligitur ab iis qui venire nolunt, eſt illis prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

IX. Tract. 2. in Joan. num. 4. to. 3. hæc teſtatur de antiquis Philoſophis. *Viderunt quò veniendum eſſet, ſed ingrati ei qui illis præſtitit quod viderunt, ſibi voluerunt tribuere quod viderunt, & facti ſuperbi amiſerunt quod videbant;*

Atqui gratia, per quam antiqui Philoſophi viderunt ſupernum hominis finem quò veniendum erat, fuit in ſe utilis, & beneficium Dei: quod autem gratiæ hujus beneficio ſeſe ingratos exhibuerunt, fuit illis hæc gratia prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

X. Serm. 197. num. 1. tom. 5. hæc iterum de priſcis Sapientibus perſequitur. *Cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum... Non enim debebant ſibi arrogare quod ille donaverat, nec ſe jactare ex eo quod non à ſe ipſis, ſed ab illo habebant; quod illi utique reddendum fuit, ut ad hoc tenendum quod videre poterant, ab illo ſanarentur qui dederat ut viderent. Si enim hoc facerent, humilitatem ſervarent,*

Digitized by Google

rent, & poſſent purgari, atque illi beatiſſimæ contemplationi cohærerent;

Sed gratia, quâ priſci Sapientès divino munere Deum cognoverunt, quâ ſanari, purgari, atque beatiſſimæ Dei contemplationi poterant cohærere, fuit in ſe utilis, & beneficium Dei; dum autem ſibi arrogarunt quod ille donaverat, & ſeſe jactarunt ex eo quod non à ſe ipſis, ſed ab illo habebant, fuit illis prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

XI. In Pſal. 124. num. 1. tom. 4. hæc de obduratis prædicat: *Nihil aliud nutriunt quam ſuperbiam, & cor eorum congelaſcit adverſus Deum, & fit durum adverſus imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat*;

Sed gratia, per modum imbris irrigans cor obduratum ut fructum ferat, eſt in ſe utilis, & beneficium Dei; dum autem cor illud fit durum adverſus imbrem gratiæ Dei ne fructum ferat, eſt illi prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

XII. Lbi. 5. Quæſt. ſupra Deuter. qu. 15. num. 4. tom. 3. *Infideles non contemperantur adjutorio gratiæ; ſed ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti*;

Sed gratia, quatenus Dei eſt adjutorium, eſt in ſe utilis. & beneficium Dei; quatenus vero huic gratiæ infideles non contemperantur, eſt illis prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

XIII. Enarrat. 2. in Pſal. 32. num. 11. tom. 4. *Miſeretur, conſiderat imaginem ſuam, fragilitatem noſtram, errorem noſtrum, cæcitatem noſtram, & vocat; & converſis ad ſe donat peccata; non converſis non donat*;

Sed gratia, qua Deus miſerendo vocat, eſt in ſe utilis, & beneficium Dei; quatenus verò ſub illa aliqui non convertuntur, quibus Deus peccata non donat, eſt illis prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

XIV. Lib. 1. ad Simplic. qu. 2. num. 10. to. 6. *Noluit ergo Eſau, & non*

Digitized by Google

& non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemta reprobus fieret;

Sed gratia, quâ vocatus eſt Eſau ad volendum atque currendum, ut perveniret ad eam fidem, in quâ juſtificatus eſt Jacob, fuit in ſe utilis, & beneficium Dei; quia verò propter hujus gratiæ contemptum reprobus factus eſt Eſau, fuit illi prorſus inefficax; ergo ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax eſt in ſe utilis, & beneficium Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino gratia prorſus inefficax, per quam poſſumus quidem ſed nolumus, eſt nobis inutilis, non ſuaptè natura, non ex genere ſuo, non virtute ſua; ſed vitio noſtro, ſed culpa noſtra, ſed malitia noſtra; quia bene uti nolumus utili poteſtate accepta gratuitò ad piè volendum: quemadmodum non ſuapte natura, ſed vitio noſtro, non ex genere ſuo, ſed culpa noſtra, non virtute ſua, ſed malitia noſtrâ, Dei gratia evadit nobis prorſus inefficax.

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino lex a gratia ſejuncta plurimum obeſt; tum quia nullam continet vim adjutricem, de qua Serm. 251. cap.7. num.6. to.5. dicit: *Lex jubere poteſt, juvare non poteſt*; tum quia legis reminiſcentia in nobis, qui nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata, deſiderium excitat labefactandæ atque frangendæ legis, ut admonet S. Doctor his verbis Lib. 21. de Civ. Dei cap. 16. tom.7. *Si lex jubens adſit, & ſpiritus juvans deſit, per ipſam prohibitionem, deſiderio creſcente atque vincente peccati, etiam reatus prævaricationis accedit*. At è contrario gratia, quæ vitio noſtro eſt inefficax, abſente gratia efficaci, cum ſit verum Dei adjutorium apud S. Doctorem, virtute ſua de ſe adjuvat, allicit, provocat ad benè agendum, deterret à malo, & pia deſideria cuſtodiendæ legis excitat, atque fovet.

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino exterior doctrina non dat poteſtatem ſupernam, non provocat, neque allicit ad ſervandam legem; at verò gratia, ſuaptè natura ſufficiens, & culpa noſtra inefficax, dat poteſtatem ſupernam, provocat, atque allicit ad ſervandam legem.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino orandum eſt, tum pro ſufficientia gratiæ quâ poſſumus, tum prò efficacia gratiæ, quâ volumus atque agimus. At non eſt orandum pro inefficacia gratiæ, quâ nolumus & non agimus: hæc enim inefficacia provenit ex reſiſtentia noſtra, quâ gratiæ obnitimur.

Ad quintum dicendum, quod ex S. Auguſtino homo cum gratia inefficaci peccat, non propter gratiam, quæ munus eſt miſericordiæ divinæ; ſed propter inefficaciam, quæ vitium eſt iniquitatis humanæ.

Ad ſextum dicendum, quod ex S. Auguſtino, cujus Deus miſeretur miſericordia efficaci, ſic eum vocat quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat; cujus autem Deus miſeretur miſericordia de ſe ſufficienti, & culpa noſtra inefficaci, non ſic eum vocat quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat. Utraque tamen vocatio eſt Dei miſericordia. Vocatio congrua, efficax, non merè ſufficiens major eſt miſericordia Dei. Vocatio incongrua, inefficax, merè ſufficiens minor eſt miſericordia Dei. Docet enim Lib. 83. Quæſt. qu. 68. num. 5. to. 6. *Ad miſericordiam pertinet vocatio, tum eorum qui venerunt, tum eorum qui venire noluerunt.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Eſt in hominis poteſtate quomodò vivat, ut ſecurus vitam finiat: Neque hoc in poteſtate eſſet, niſi dediſſet Dominus poteſtatem filios Dei fieri.* (b) *Intelligamus ergò manum dexteræ poteſtatem quam dedit tibi Deus, ut ſi velis, donante Deo, ad dexteram ſis. Ut autem ſis ad dexteram, ideſt, ut poſſis filius Dei fieri, poteſtatem accepiſti, de qua dicit Joannes: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* (c) *Cum igitur voluntatem humanam gratiâ Divinâ adjuvante, ſine peccato in hac vitâ poſſit homo eſſe, cur non ſit, poſſum facillimè, ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt.* (d) *Ille igitur reus erit ad damnationem ſub poteſtate ejus, qui contemſerit ad credendum miſericordiam ejus.* (e) *Facit enim ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos; & pluit ſuper juſtos & injuſtos, invitans*

Digitized by Google

vitans utique ad pœnitentiam per patientiam, ut qui neglexerint ejus bonitatem, experiantur in fine ſeveritatem. (f) *Siquidem in ſua miſericordia vocavit impios, & in veritate judicat eos, qui vocati venire noluerunt*. (g) *Vocat enim undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correctionis, vocat per miſericordiam conſolationis, Longanimis, & multùm miſericordiæ. Sed obſerva, ne multitudine miſericordiæ Dei malè utendo, tu tibi theſaurizes iram in die iræ*. (h) *Ad miſericordiam enim pertinet vocatio, ad judicium pertinet beatitudo eorum qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum qui noluerunt venire*. (i) *Quorum antiqui ſapientes viderunt quò veniendum eſſet, ſed ingrati ei, qui illis præſtitit quod viderunt, ſibi voluerunt tribuere quod viderunt, & facti ſuperbi amiſerunt quod videbant*. (k) *Cognoſcentes enim Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Non enim debebant ſibi arrogare quod ille donaverat, nec ſe jactare ex eo quod non a ſeipſis, ſed ab illo habebant. Quod illi utique reddendum fuit, ut ab illo ſanarentur, qui dederat ut viderent. Si enim hoc facerent, humilitatem ſervarent, & poſſent purgari, atque illi beatiſſimæ contemplationi cohærerent*. (l) *Sed nihil aliud nutriunt hujuſmodi quam ſuperbiam, & cor eorum congelaſcit adverſus Deum, & fit durum adverſus imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat*. (m) *Infideles enim non contemperantur adjutorio gratiæ*, (n) *quâ miſeretur Deus & vocat, & converſis ad ſe donat peccata, non converſis non donat*. (o) *Talis fuit Eſau, qui noluit & non cucurrit; ſed & ſi voluiſſet & cucurriſſet, Dei adjutorio perveniſſet, qui ei etiam velle & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contemta reprobus fieret*. Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Serm. 306. cap. 2. num. 6. tom. 5. (*b*) In Pſalm. 120. num. 11. tom. 4. (*c*) Lib. 2. de Peccat. Merit. & Remiſs. cap. 17. num. 26. tom. 10. (*d*) Lib. de Spir. & Lit. cap. 33. num. 58. tom. 10. (*e*) Serm. 149. cap. 17. num. 18. to. 5. (*f*) Serm. 1. in Pſal. 113. num. 13. tom. 4. (*g*) In Pſal. 102. num. 16. tom. 4. (*h*) Lib. 83.

Quæſt. qu. 68. num. 5. to. 6. (*i*) Tract. 2. in Joan. num. 4. to. 3. (*k*) Serm. 197. num. 1. to. 5. (*l*) In Pſalm. 124. num. 1. to. 4. (*m*) Lib. 5. Quæſt. ſupra Deuter. quæſt. 15. num. 4. tom. 3. (*n*) Enarr. 2. in Pſalm. 32. num. 11. to. 4. (*o*) Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 10. tom. 6.

QUÆSTIO V.

De Gratia efficaci in quatuor digeſta articulos.

Hactenus diſputatum eſt de S. Auguſtini mente circa gratiam, quam vocant inefficacem. In hac autem quæſtione S. Doctoris ſententiam inveſtigabimus circa gratiam, quam efficacem nominant. Quatuor ergo ad trutinam revocamus, quæ in totidem articulos præſentem quæſtionem de gratia efficaci partitam exhibent. I. Utrum ex S. Auguſtino gratia Dei efficax ſit nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas? II. Utrum ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis ſit inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis? III. Utrum ex S. Auguſtino delectatio cœleſtis ſit nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas? IV. Utrum ex S. Auguſtino delectatio terrena ſit nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas?

ARTICULUS I.

Utrum ex S. Auguſtino gratia Dei efficax ſit nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas?

Videtur, quod ex S. Auguſtino gratia Dei efficax ſit nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas. Hæc enim habet

I. IN Pſalm. 81. num. 2. tom. 4. *Diſcernit Deus non eorum meritis, ſed gratia ſua, ex eadem conſperſione faciens alia vaſa in honorem, alia in contumeliam. Quis enim te diſcernit? Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*

II. Lib.

II. Lib. de Correp. & Grat. cap. 2. num. 4. tom. 10. *Intelligant ſi filii Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt agant; & cum egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim ut agant, non ut ipſi nihil agant.* Et Lib. de Geſt. Pelag. cap. 3. num. 5. tom. 10. *Proculdubio plus eſt agi, quam regi. Qui enim regitur aliquid agit, & à Deo regitur ut rectè agat. Qui autem agitur, aliquid agere ipſe vix intelligitur. Et tamen tantùm præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere: quotquot Spiritu Dei aguntur hi filii ſunt Dei, nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere poteſt, quam ut illi ſe agendam commendet, qui malè agere non poteſt, & cum hoc fecerit, ab illo ſe, ut faceret, adjutam eſſe non dubitet, cui dicitur in pſalmo, Deus meus, miſericordia ejus præveniet me.*

III. Ad Vital. Epiſt. 217. cap. 7. num. 26. tom. 2. *Nunquid ubi audieris ſacerdotem Dei ad ejus altare populum hortantem ad Deum orandum, vel ipſum clara voce orantem, ut incredulas gentes ad fidem ſuam venire compellat, non reſpondebis: Amen?*

IV. Serm. 112. cap. 1. num. 1. tom. 5. *In Evangelio ad cœnam vocati ſumus; imò alii vocati, nos non vocati, ſed ducti, non ſolum ducti, ſed etiam coacti.*

V. Serm. 131. cap. 2. num. 2. tom. 5. *Nemo venit ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum. Non dixit, duxerit, ſed traxerit. Iſta violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede, & venis. Ama, & traheris. Nonne ovis trahitur cum eſurienti herba monſtratur? Et puto quod non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur.*

VI. Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 13. tom. 6. *Non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtrà ille miſereatur, ſi homo nolit.*

VII. Lib. de Correp. & Grat. cap. 11. num. 30. tom. 10. hæc habet de gratia præſentis ſtatus. *Proindè & ſi non interim lætiore nunc; veruntamen potentiore gratia indigent iſti.*

VIII. Lib. de Correp. & Grat. cap. 12. num. 34. to. 10. hanc affert comparationem. *Aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid*

non

non ſit; & alind eſt adjutorium, quo aliquid ſit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis ſit ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum eſt, ſine quo non ſit, non quo ſit ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuò ſit beatus. Adjutorium eſt enim, non ſolum ſine quo non ſit, verum etiam quo ſit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium quo ſit eſt, & ſine quo non ſit; quia & ſi data fuerit homini beatitudo, continuò ſit beatus, & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non conſequenter faciunt ut homo vivat; ſed tamen ſine illis non poteſt vivere.

IX. Lib. de Correp. & Grat. cap. 12. num. 38. tom. 10. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia, indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.*

X. Lib. de Grat. & Lib. Arbitr. cap. 16. num. 32. tom. 10. *Certum eſt nos facere cum facimus; ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Et Epiſt. 217. ad Vital. cap. 6. num 24. tom. 2. *Eoſque ad ſeipſum omnipotentiſſima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus fecit.* Et Lib. 3. Operis Imperf. num. 166. tom. 10. *Cur ergo non confiteris, ſine ulla forinſecùs ſonante juſſione, Deum, occulto inſtinctu, ad quod voluerit efficaciſſimè implendum, præparare, atque excitare hominum voluntates, qui liberum non defendis intèlligendum, ſed præcipitandum extollis arbitrium?*

XI. Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 5. num. 12. tom. 10. hæc affirmat de gratia Pauli. *Ut autem de cœlo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola; quia merita ejus erant magna, ſed mala.* Et rurſus Lib. 1. Oper. Imperf. num. 133. tom. 10. *Quod ergo emiſſa voce de cœlo proſtravit, quod excæcavit, quod ad fidem percipiendam, quam vaſtabat, tam violenter adtraxit, proculdubio ſecundam gratiam, non ſecundum debitum fuit.* Et iterum Epiſt. 93. ad Vincentium Rogatiſtam. cap. 2. num. 5. tom. 2. *Ipſum primò Saulum, poſteà Paulum, ad cognoſcendam, & tenendam veritaa-*

Digitized by Google

ritatem, magna violentia Chriſti cogentis eſſe compulſum.

XII. Lib. de Correp. & Grat. cap. 8. num. 17. tom. 10. hæc teſtatur de gratia Petri. *An audebis dicere, etiam rogante Chriſto, ne deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere voluiſſet, hoc eſt, ſi eam uſque in finem perſeverare noluiſſet, quaſi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet ut vellet?*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas; hæc autem aſſertio ſubjectis S. Doctoris ſententiis ita fulcitur.

I. Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 14. tom. 6. *Cum ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem; eademque res ſæpè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat; aliumque moveat, alium non moveat: quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob juſtificatus eſt?*

Ergo ex S. Auguſtino fieri poteſt, ut ſub una eademque gratia, unus moveatur, alter non moveatur ad fidem; ac proindè fieri poteſt, ut una eademque gratia, quæ eſt efficax reſpectu unius, ſit inefficax reſpectu alterius; ſed ſi gratia Dei efficax eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas, hoc fieri nulla ratione poteſt; cum enim ex intrinſeca ſua natura ſit irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas, talis erit reſpectu utriuſque; adeòque ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

II. Lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. to. 7. ſic eadem iterum docet. *Si eàdem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat atque conſentiat, alter idem qui fuerat perſeveret, quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere? Unde, niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio?*

Ergo ex S. Auguſtino fieri poteſt, ut ex duobus hominibus

bus, ſub eadem prorſus corporis, animique affectione, adeoque ſub eadem prorſus gratia, conſentiat alter, altero non conſentiente; ſed ſi gratia efficax eſt irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas, hoc fieri omnino non poteſt; quia non conſentiens habebit neceſſitatem irreſiſtibilem non conſentiendi; conſentiens autem habebit neceſſitatem irreſiſtibilem conſentiendi; ac proindè non erunt ambo ſub eadem corporis, animique affectione, contrà hypotheſim S. Doctoris; quare ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

III. Lib. 83. Quæſt. qu. 68. n. 5. to. 6. hæc habet. *Vocatio ergò ante meritum voluntatem operatur. Propterea, & ſi quiſquam ſibi tribuit quod venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere, quod vocatus eſt. Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii ut vocaretur; ſic incboat meritum ſupplicii cum vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa: miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Ad miſericordiam pertinet vocatio; ad judicium pertinet beatitudo eorum, qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum, qui venire noluerunt.*

Ergo ex S. Auguſtino conſenſus animæ, ſub gratia efficaci, eſt imputabilis conſentienti ad verum meritum debitæ ſibi ſempiternæ beatitatis; ſed conſenſus animæ, ſub gratia irreſiſtibiliter neceſſitante, non eſt imputabilis conſentienti ad verum meritum debitæ ſibi ſempiternæ beatitatis: quemadmodum amor beati, ſub viſione Dei irreſiſtibiliter ad amorem neceſſitante, non eſt imputabilis beato ad verum meritum debiti præmii; quare ex S. Auguſtino conſenſus animæ, ſub gratia efficaci, non eſt ſub gratia irreſiſtibiliter neceſſitante; adeoque ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

IV. Lib. de Correp. & Grat. cap.8.num.17.to.10. hæc teſtatur de voluntate credendi, quam habuit Petrus. *Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, ac perſeverantiſſimam voluntatem?*

Ergo

Ergo ex S. Auguſtino Chriſtus Dominus obtinuit Petro efficacem gratiam, quâ habuit in fide perſeverantiſſimam quidem, invictiſſimam, atque fortiſſimam; ſed ſimul etiam *Liberrimam Voluntatem*; ſed ſi gratia efficax ad credendum eſt irreſiſtibilis credendi neceſſitas, ſub gratia efficaci non habuit Petrus in Fide liberrimam voluntatem. Quâ enim ratione eſt in Fide liberrima voluntas illa, quæ irreſiſtibilem habet credendi neceſſitatem? quare ex S. Auguſtino gratia Dei efficax ad credendum non eſt nobis irreſiſtibilis credendi neceſſitas.

V. Epiſt. 217. ad Vital. cap. 5. num. 16., & cap. 6. nu. 23. tom. 2. *Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, ſuâ id facere voluntate ac libero arbitrio... Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate? Cum potius illi oppugnent Dei gratiam, quâ verè ad bona eligenda, & agenda fit liberum.*

Ergo ex S. Auguſtino voluntas humana ſub gratia efficaci fit verè libera ad eligenda bona præ non bonis; ſed ſub irreſiſtibli benè agendi neceſſitate, voluntas humana non fit verè libera ad eligenda bona præ non bonis; quemadmodum ſub viſione beatifica, irreſiſtibili amandi neceſſitate, voluntas beata non fit verè libera ad eligendum amorem præ non amore; libera enim voluntatis electio de pluribus ſibi propoſitis, eſſentialiter excludit omnem irreſiſtibilem neceſſitatem ad unum; adeoque ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

VI. Lib 2. de Actis cum Felice Manich. cap. 4. tom. 8. *Audi ergò de libero arbitrio primò ipſum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipſe feciſti, audi dicentem. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Cum ergo hoc dicit: Aut hoc facite, aut illud facite, poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim niſi Deus facere arborem poteſt; ſed habet unuſquiſque in voluntate aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala, & eſſe arbor mala;*

Ergò ex S. Auguſtino ſub gratia efficaci ſtat libera volun-

tatis electio inter opera bona, & opera mala; ſed ſub irreſiſtibili benè agendi neceſſitate, non ſtat, quinimo corruit libera voluntatis electio inter opera bona, & opera mala; quare ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

VII. Lib. 2. contra Lit. Petil. cap. 84. num. 186. tom. 9. *Si tibi proponam quæſtionem: quomodò Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſè eam difficile ſoluturus es; quomodo enim attrahit, ſi dimittit ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum eſt; ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.*

Ergo ex S. Auguſtino Deus Pater gratia ſua efficaci, quâ attrahit ad Filium homines, ſimul dimittit ut quis quod voluerit eligat, fidem videlicet præ infidelitate; ſed ſub irreſiſtibili benè agendi neceſſitate, non dimittit Deus Pater, ut quis quod voluerit eligat, fidem videlicet præ infidelitate; quemadmodum ſub viſione beatifica, irreſiſtibiliter ad amorem neceſſitante, non dimittit Deus Beato ut amorem præ odio, prout voluerit, eligat; adeoque ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

VIII. Lib. 2. contra duas Epiſtol. Pelagian. cap. 6. num. 11. tom. 10. *Itane verò filii ſuperbiæ, inimici gratiæ Dei, O novi hæretici Pelagiani, quiſquis dicit gratiâ Dei omnia hominis bona merita præveniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne non ſit gratia, ſi debita merentibus redditur, fatum vobis videtur aſſerere?*

Ergo ex S. Auguſtino gratia Dei efficax, præveniens omnia hominis bona merita, non ſe habet ad inſtar fati; ſed ſi eſt irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas, ſeſe habet ad inſtar fati; adeoque ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

IX. Lib. 2. contra Fauſtum Manich. cap. 5. tom. 8. *Nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter juſtum judicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus;*

Ergo ex S. Auguſtino liberum voluntatis arbitrium, quo vel

vel bene vel male vivitur, vindicandum eſt ab omni vinculo neceſſitatis, ne ſit injuſtum judicium Dei in decernendis præmiis, atque ſuppliciis; quare ex S. Auguſtino liberum voluntatis arbitrium, quo benè vivitur, vindicandum eſt ab omni gratia efficaci, quæ ſit irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas, ne Dei judicium in decernendis præmiis injuſtum ſit; ac proinde ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

X. Lib. de Nat. & Grat. cap. 65. num. 78. tom. 10. hæc habet de Pelagio producente ſententiam Sancti Hieronymi circa liberum noſtræ voluntatis arbitrium. *Item, quod ait à memorato dictum eſſe Præsbytero. Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt. Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam neget eſſe humanam naturam; ſed in rectè faciendo, ideò nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt caritatis*;

Ergò ex S. Auguſtino, toto corde amplectente ſententiam S. Hieronymi, non trahimur ad virtutem neceſſitate, & libertas caritatis, conſtituta per gratiam efficacem in rectè faciendo, excludit omne vinculum neceſſitatis; ſed ſi gratia Dei efficax eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas, trahimur ad virtutem neceſſitate, & libertas caritatis, conſtituta per gratiam efficacem, non excludit in rectè faciendo omne vinculum neceſſitatis; adeoque ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

XI. Lib. de Spir. & Lit. cap. 31. num. 54. tom. 10. *De illa itaque fide quærimus, utrum in poteſtate ſit, qua credimus Deo, vel credimus in Deum? ... Vide nunc, utrum quiſque credat, ſi noluerit, aut non credat, ſi voluerit? Quod ſi abſurdum eſt: Quid eſt enim credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? Conſenſio autem utique volentis eſt, profectò fides in poteſtate eſt. Sed cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur*;

Ergo ex S. Auguſtino, per gratiam ad credendum efficacem, poteſtas credendi datur, non autem neceſſitas ad credendum imponitur; ſed ſi gratia efficax ad credendum eſt irreſiſti-

Digitized by Google

bilis credendi neceſſitas, per gratiam ad credendum efficacem, non ſolùm poteſtas credendi datur, ſed etiam neceſſitas ad credendum imponitur; ac proindè ex S. Auguſtino gratia efficax ad credendum non eſt irreſiſtibilis credendi neceſſitas.

XII. Lib. 5. Oper. Imperf. num. 71. tom. 10. *Non ergo aliter eſſet virtus in nobis, niſi voluntatem malam ſic non haberemus, ut habere poſſemus; ſed pro hujus minoris virtutis merito, accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem ſic non haberemus, ut nec habere poſſemus. O deſideranda neceſſitas!*

Ergo ex S. Auguſtino neceſſitas non habendi voluntatem malam deſideranda eſt in via, & obtinenda dumtaxat in patria; ſed irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas eſt voluntatem malam non habendi neceſsitas; adeòque ex S. Auguſtino irreſiſtibilis benè agendi neceſsitas, deſideranda eſt in via, & obtinenda dumtaxat in patria; ac proinde ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſsitas.

XIII. Lib. 5. Oper. Imperf. num. 72. tom. 10. *Non erit nobis virtutis neceſſitas felix, quando tantâ gratiâ natura noſtra replebitur, & Deus erit omnia in omnibus, ut mali aliquid velle non poſſit?*

Ergo ex S. Auguſtino tanta gratia, quæ ſit virtutis neceſſitas, futura eſt dumtaxat in patria; ſed gratia efficax, quæ ſit irreſiſtibilis benè agendi neceſsitas, eſt tanta gratia, quæ ſit virtutis neceſsitas; hinc ex S. Auguſtino gratia efficax, quæ ſit irreſiſtibilis benè agendi neceſsitas, futura eſt dumtaxat in patria; ac proinde ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſsitas.

XIV. Lib. contr. Fortunat. Manichæum diſput. 1. num. 15. tom. 8. *Animæ rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium. Sic enim poſſet habere meritum, ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus. Cum ergo oporteat non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, oportebat ut Deus animæ daret liberum arbitrium;*

Ergo ex S. Auguſtino eſt de ratione meriti, ac liberi arbitrii, ut voluntate, non neceſsitate boni ſimus; adeoque ex Sancto Auguſtino eſt de ratione gratiæ efficacis, quâ boni ſumus,

Digitized by Google

ut non ſit nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſsitas.

XV. Lib. 83. Quæſt. quæſt. 2. tom. 6. hæc definit. *Melior homo eſt, qui voluntate, quam qui neceſſitate bonus eſt. Voluntas igitur libera danda homini fuit;*

Ergo ex S. Auguſtino homo bonus non neceſsitate, ſed voluntate bonus eſt; ſed ſub gratia efficaci, quæ ſit irreſiſtibilis benè agendi neceſsitas, bonus eſt homo neceſsitate, non voluntate; quare ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſsitas.

XVI. Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. num. 60. tom. 10. hæc teſtatur de voluntate credendi. *Non ideo tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt; verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus; ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat; ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem. Sed conſentire, vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt. His ergo modis, quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat, profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos. Conſentire autem vocationi, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt;*

Ergo ex S. Auguſtino eſt in poteſtate propriæ cujuſque voluntatis conſentire, vel diſſentire gratiæ efficaci, quâ Deus agit intrinſecùs cum anima rationali, ut ei credat, & quâ operatur in homine velle credere; hinc ex S. Auguſtino poteſt voluntas reſiſtere gratiæ efficaci: ſunt enim una eademque res: Diſſentire gratiæ efficaci ſuadenti fidem, & gratiæ efficaci fidem ſuadenti reſiſtere; quare ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſsitas.

XVII. Lib. de Prædeſt. SS. cap. 5. num. 10. tom. 10. hæc affirmat. *Ipſa vero Fides diſcernit ab infidele fidelem; ac per hoc, ubi dicitur: Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod*

Digitized by Google

quod non accepiſti? Quiſquis audet dicere: Habeo ex me ipſo Fidem, non ergo accepi? Profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati: Non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideò ad ipſam quoque Fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet: Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?

Ergo ex S. Auguſtino ſub gratia efficaci, per quam habetur fides, eſt in arbitrio voluntatis humanæ credere, vel non credere; quare ex S. Auguſtino eſt in arbitrio voluntatis humanæ reſiſtere gratiæ efficaci, per quam habetur fides; adeoque ex S. Auguſtino gratia Dei efficax ad credendum non eſt nobis irreſiſtibilis credendi neceſsitas.

XVIII. Lib. 1. ad Simpilc. qu. 2. num. 10. tom. 6. *Multi enim ſunt vocati, pauci autem electi. Utique hi qui vocantem non contemſerunt, ſed credendo ſecuti ſunt, volentes autem ſinè dubio crediderunt;*

Ergo ex S. Auguſtino illi ſunt electi, qui vocantem Deum, vocatione & gratia efficaci, non contemſerunt, volentes crediderunt, & credendo ſecuti ſunt; adeoque ex S. Auguſtino fieri potuit, ut vocantem Deum, vocatione & gratia efficaci, contemnerent, non ſequerentur, & nollent credere; ac proindè fieri potuit, ut reſiſterent gratiæ Dei efficaci ad credendum, ſejungendo tamen reſiſtentiam ab efficacia; quare ex S. Auguſtino gratia Dei efficax ad credendum non eſt nobis irreſiſtibilis credendi neceſſitas.

XIX. Lib. 2. Oper. Imperf. num. 154. tom. 10. *Dicite nobis, ſi noluiſſent gentes credere juſtèque vivere, evacuaretur promiſſio quæ facta eſt ad Abraham? Non, inquies. Ergo ut Abraham ob ſtipendium fidei conſequeretur dilatationem ſeminis, præparata eſt gentium voluntas à Domino, & ut vellent, quod & nolle potuiſſent, ab illo factum eſt, qui ea, quæ promiſit, potens eſt & facere.*

Ergo ex S. Auguſtino ſub gratia efficaci, per quam gentes voluerunt credere & juſtè vivere, & credere & juſtè vivere nolle poterant; quare ex S. Auguſtino poterant reſiſtere gratiæ efficaci, ſub qua voluerunt credere juſtèque vivere; adeoque ex San-

Sancto Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis credendi, ac benè agendi neceſſitas.

XX. Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 25. num. 74. tom. 1. *Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum: quid autem quiſque vel ſumat, vel reſpuat, eſt in poteſtate; ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt. Fatendum eſt, & ex ſuperioribus, & inferioribus viſis animum tangi, ut rationalis ſubſtantia ex utroque ſumat quod voluerit, & ex merito ſumendi vel miſeria, vel beatitas conſequatur*;

Ergo ex S. Auguſtino ſub gratia efficaci tangente & alliciente animum ad benè agendum, ex qua bonum meritum procreante, beatitas ſempiterna conſequitur, eſt in poteſtate rationalis ſubſtantiæ ſumere, vel reſpuere bonum, ad quod per ſuperiora viſa animus tangitur, & allicitur; hinc ex S. Auguſtino eſt in poteſtate rationalis ſubſtantiæ reſiſtere gratiæ efficaci; adeoque ex S. Auguſtino gratia Dei efficax non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino Deus diſcernit electum a reprobo, fidelem ab infideli, pium ab impio, juſtum ab injuſto, gratiâ ſuâ, non hominis meritis. Hæc autem gratuita Dei diſcretio, ac ſegregatio in eo ſita eſt, quod Deus prævenit immerentem hominem, quem peramanter diſcernit, gratiâ ſuâ efficaci ipſi prorſus indebitâ. Homo autem nulla ratione ſeipſum poteſt diſcernere, induſtria dumtaxat ſua, viribus dumtaxat ſuis, meritiſque humanis propria virtute partis, vi ſua ſibi comparatis, atque a natura petitis, ut Pelagiani jactabant. Diſcernit ergo ſeipſum homo præventus a Deo gratiâ ſuâ efficaci ſibi prorſus indebitâ, per hoc, quod liberè conſentiat gratiæ efficaci, cui ceteroquin diſſentire poſſet, ſi vellet. Sic explicat Sanctus Doctor teſtimonium illud Apoſtoli Lib. 2. contrà duas Epiſtolas Pelag. cap. 7. num. 15. tom. 10. his verbis. *Quis enim te diſcernit? ait idem Apoſtolus homini tanquam de ſemetipſo, & de ſuo proprio bona glorianti. Quis enim te diſcernit? Utique ab iræ vaſis, a maſſis perditionis, quæ per unum omnes miſit in damnationem. Quis te diſcernit? Et tanquam reſpondiſſet, Diſcernit me fides mea, propoſitum meum,*

meum, meritum meum. Quid enim habes, inquit, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Hoc eſt, *quaſi de tuo ſit, unde diſcerneris? Ergo ille diſcernit, qui undè diſcernaris impertit, pœnam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo*. Et rurſus: Lib. de Præd. SS. cap. 5. num. 10. tom. 10. *Ipſa vero fides diſcernit ab infideli fidelem: ac per hoc, ubi dicitur: Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Quiſquis audet dicere: Habeo ex me ipſo fidem, non ergo accepi, profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati: non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in electis præparatur voluntas à Domino; ideò ad ipſam quoque fidem, quæ in voluntate eſt, pertinet: Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?*

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino humana voluntas per gratiam efficacem à Deo agitur, & ita agitur, ut agere aliquid vix ipſa intelligatur; non quòd agatur ſub irreſiſtibili benè agendi neceſſitate, verum quia agitur, & gratia ſibi prorſus neceſſaria, ſinè qua nihil boni ſalutaris agere poteſt, & gratia ſibi prorſus indebita, ex nullis meritis a natura petitis proficiſcente, & gratia gratis omnino præparante, ac præveniente adjuvandam, & ſimul adjuvante præventam, ac præparatam hominis voluntatem, quæ omnia magnis animis ſuperbi Pelagiani pernegabant. Hinc in Enchirid. cap. 32. num. 9. tom. 6. hæc docet. *Reſtat ut propterea dictum intelligatur: Non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam.* Rurſus: Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 9. num. 19. tom. 10. *Ideò quippe ſcriptum eſt: Hominis eſt præparare cor ... quia homo præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei, qui ſic tangit cor, ut homo præparet cor.* Et iterum: Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. num. 6. tom. 10. *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio cui credat, profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus præ-*

Digitized by Google

prævenit nos. Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. Poſtremo in Pſal. 52. num. 5. to. 4. *Quod dono ipſius tu facis, ille facere dicitur, quia ſine illo tu non faceres; ergo Deus facere dicitur, cum tu facis.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino compellit quidem Deus infideles ad Fidem, ſed impulſu conſentaneo libero eorumdem arbitrio, cui obſiſtere poſſunt, ſi velint. Dicit enim S. Doctor Lib. de Prædeſt. SS. cap. 5. num. 10. tom. 10. *Quisquis audet dicere: Habeo ex meipſo Fidem, non ergo accepi, contradicit huic apertiſſimæ veritati: Quid autem habes, quod non accepiſti? Non quia credere, vel non credere non eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed in electis præparatur voluntas a Domino.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino ad myſticam Chriſti cœnam Judæi per Prophetas fuerunt vocati: nos autem ex Gentibus per Apoſtolos non vocati, ſed ducti, non ſolum ducti, ſed etiam coacti; quia mediis efficaciſſimis, & maximè extraordinariis adducti, adhibitis, videlicet, per Apoſtolos prodigiis, atque portentis maximis, quæ acciderunt in converſione Gentium.

Ad quintum dicendum, quod ex S. Auguſtino Pater gratia ſua efficaci attrahit ad Filium homines, quemadmodum Paſtor, viridi herba propoſita, poſt ſe attrahit eſurientes oves, mediis videlicet blandis, ſuavibuſque affectibus cupiditatis, amoris, voluptatis, qui nullam, in homine libera voluntate donato, irreſiſtibilem afferunt veniendi neceſſitatem. Hinc Lib. 2. contra Lit. Petil. cap. 84. num. 186. to. 9., inquit: *Si tibi proponam quæſtionem: quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſis eam difficilius ſoluturus es; quomodo enim attrahit, ſi dimittit, ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Ubi vides ex S. Auguſtino quæſtionem circa concordiam divinæ gratiæ efficacis cum electiva hominis libertate, neque inſolubilem, neque impenetrabilem eſſe, veluti myſterium Fidei, ſed non eſſe facilis ſolu-

Digitized by Google

tionis,neque facilis penetrationis, ut pleræque quæſtiones Theologicæ, quod ſignificat S. Doctor per illa verba: *Fortaſſis eam difficilius ſoluturus es: & intellectu hoc penetrare pauci valent*.

Ad ſextum dicendum, quod ex S. Auguſtino non poteſt effectus miſericordiæ Dei ita eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit. Hoc autem non conſequitur ex inſeparabili connexione gratiæ cum effectu, ſed ex inconjungibili ſocietate gratiæ præviſæ aptæ atque congruæ, cum effectus defectu. Hæc autem ſocietas, ſi contingeret, & eſſet fruſtranea miſericordia Dei, & falſa præſcientia; quod fieri nulla ratione poteſt. Hinc ita proſequitur S. Doctor loco citato: *Quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur*: Quod etiam clarius ibidem explicat his verbis: *Nullius Deus fruſtra miſeretur, cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*.

Ad ſeptimum dicendum, quod ex S. Auguſtino gratia ſtatûs noſtri, utpote hominum militantium, atque pugnantium adverſus rebellantes animi motus, eſt ſanè potentior gratiâ primi hominis innocentis. Gratia autem innocentis Adami, utpote hominis pacati & quieti, lætior erat noſtra gratia. Patet mens S. Doctoris ex præcedentibus verbis num. 19. ubi hæc habet de primi hominis gratia comparata cum noſtra gratia. *Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti cum dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ ..... atque in tali certamine laborantes, & periclitantes, dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Dei gratiam poſcunt: Ille vero nulla tali rixa à ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco, ſua ſecum pace fruebatur: Proinde & ſi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent iſti*.

Ad octavum dicendum, quod S. Auguſtinus in diſputatione adverſus Semipelagianos de dono perſeverantiæ, beatitudinis inſtar docuit eſſe finalem perſeverantiam. Quemadmodum enim ſine beatitudine nemo poteſt eſſe formaliter beatus; habita

bita vero beatitudine, ſtatim evadit beatus formaliter; ita abſque dono perſeverantiæ nullus eſt, qui poſſit eſſe formaliter perſeverans; accepto autem perſeverantiæ dono, ſtatim per illud donum fit perſeverans formaliter.

Ad nonum dicendum, quod ex S. Auguſtino divina illa gratia a Semipelagianis negata, de qua ibi ſermo eſt, nihil eſt aliud, quam ipſamet formalis perſeverantia uſque in finem, quæ gratuitò donatur ſanctis in regnum Dei prædeſtinatis. Hanc enim quæſtionem pertractandam pro dignitate, in arenam producit S. Doctor eodem Lib. de Correp. & Grat. cap. 10. num. 26. per hæc verba: *Quæritur à nobis, quantùm attinet ad hoc donum Dei, quod eſt in bono perſeverare uſque in finem, quid de ipſo primo homine ſentiamus, qui certè ſine ullo vitio factus eſt rectus?* Deinde ibidem excitat hanc difficultatem, in qua enodanda totus eſt uſque ad caput 14. videlicet: *Si propterea non habuit Adam perſeverantiam, quia non accepit, quid ipſe non perſeverando peccavit, qui perſeverantiam non accepit?* Propoſitæ a ſe difficultati per hæc verba S. Doctor reſpondet, eodem libro cap. 11. num. 32. *Poſſet Adam permanere ſi vellet; quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere, quod vellet; ſed quia noluit permanere, profecto ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet.* Deinde cap. 12. num. 34. comparans adjutorium perſeverantiæ, quod accipiunt ſancti prædeſtinati, cum adjutorio perſeverantiæ, quod accepit Adam, ille ad retinendam juſtitiam non amiſſam, iſti ad conſervandam juſtitiam reparatam, hæc habet: *Nunc vero ſanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis, non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ datur; ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint; verametiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.* Mox inquirit. Cur primus homo in ſtatu naturæ innocentis non habuerit à Deo perſeverantiæ donum, quod habent ſancti prædeſtinati in ſtatu naturæ lapſæ? Huic autem inquiſitioni ita eodem cap. 12. num. 37. & 38. reſpondet: *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, ideſt, in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare, vel non perſeverare in ejus relinqueretur*

 arbi-

arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſeipſo concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati, & tantæ benè vivendi facilitati perſeverandi committeretur arbitrium..... Nunc verò poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.... Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus... ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes, infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideò quamvis infirma non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.... Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet; infirmis ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent. Quare ex S. Auguſtino in ſanctis prædeſtinatis humana voluntas licet infirma, quatenus adjunctam habet formalem perſeverantiam, quæ gratia Dei eſt, & gratia maxima, agitur indeclinabiliter, & inſuperabiliter, quia præſente perſeverantia, & à recto juſtitiæ tramite declinare, & a qualibet tentatione ſuperari non poteſt, impotentia utique conſequenti, & in ſenſu compoſito præſentis perſeverantiæ, atque firmæ & ſtabilis voluntatis, qua ſancti perſeverantes invictiſſimè quod bonum eſt volunt, & hoc deſerere invictiſſimè nolunt. In hac uſurpatione impotentiæ, quam dicunt *conſequentem*, *ſenſuſque compoſiti*, frequentiſsimè loquitur Sanctus Doctor adhibens hæc vocabula: *Impoſſibilitas*: *Impotentia*, & his ſimilia, juxta communem, popularem, atque uſitatam apud vulgus acceptionem verborum. Pauca exempla ſufficiant. Tract. 53. in Joannem num. 9. & 10. to. 3. hæc de Judæis affirmat. *Sic autem dictum eſt: Non poterant credere, ubi intelligendum eſt, quod nolebant... Sicut ergo, quod Dominus negare ſeipſum non poteſt, laus eſt voluntatis divinæ; ita quod illi non poterant credere,*

dere, culpa eſt voluntatis humanæ ... Hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non poſſunt, ſed quandiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. Et Serm. 155. de verbis Apoſtoli cap. 10. num. 10. to. 5. *Prudentia carnis inimica eſt in Deum; legi enim Dei non eſt ſubjecta, neque enim poteſt. Quid eſt: Neque enim poteſt? Non homo non poteſt, non anima non poteſt, non denique ipſa caro, quia Dei creatura, non poteſt; vitium non poteſt, non natura. Quomodo ſi diceres: Claudicatio rectæ ambulationi non eſt ſubjecta, neque enim poteſt. Pes poteſt, ſed claudicatio non poteſt. Tolle claudicationem, & videbis rectam ambulationem; ſed quandiù claudicatio eſt, non poteſt: ſic quandiù prudentia carnis eſt, non poteſt: Non ſit prudentia carnis, & homo poteſt.* Denique Lib. de Correp. & Grat. cap. 12. num. 38. to. 10. *Si in tanta infirmitate vitæ hujus, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes, infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet; & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.*

Ad decimum dicendum, quod ex S. Auguſtino Deus quidem facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati: ad ſeipſum homines omnipotentiſſima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus facit, occultoque inſtinctu ad quod voluerit efficaciſsimè implendum, præparat atque excitat hominum voluntates. Hæc autem omnia demonſtrant certum, atque infallibilem gratiæ efficacis effectum, non propter neceſſitantem connexionem gratiæ cum ſuo effectu, cui reſiſti omnino non poſſit, ſed propter certiſſimam atque infallibilem Dei præſcientiam, ſub qua Dei gratia confertur, prout peculiaribus ſingulorum affectionibus congrua, apta, idonea, conſona, accomoda, proportionata, certiſſimè prævidetur. Dicit enim Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 13. tom. 6. *Non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit; quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intel-*

intelligerent, *& ſequerentur*. Mox ita concludit: *Nullius Deus fruſtra miſeretur; cujus autem miſeretur ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.*

Ad undecimum dicendum, quod ex S. Auguſtino Saulus ad fidem fuit adtractus ſubita inopinatæ lucis circumfuſione, minaci Chriſti Domini allocutione, corporis totius proſtratione, mentis exanimatione, oculorum obcæcatione, quæ omnia ſatis ſunt violenta; ſed non pertinent ad interiorem Dei gratiam, de qua diſputatur. Ubi verò S. Doctor dicit, videlicet fragmento 10. ex ſerm. de Apoſtolo Paulo pag. 106. to. 5. quod: *Et ipſi quædam neceſſitas impacta eſt, cœleſti voce proſtratus eſt, ut lumen haberet, lumen perdidit... de neceſſitate credidit*: Redarguit Fauſtum quemdam Paganum criminantem ſinceram hominis cujuſdam gentilis converſionem, quem Chriſtianum factum eſſe dictitabat, ut domeſticis conſuleret neceſſitatibus. Hujus hominis vocationem legitimam eſſe S. Auguſtinus demonſtrat exemplo Pauli Apoſtoli, qui ad ſuſcipiendam fidem ex eo fuit provocatus, ut videndi conſuleret neceſſitati; adeoque objecta Sancti Doctoris ſententia non eſt ad rem. Ceterum inconcuſſum eſt illud S. Doctoris Lib. de Spir. & Lit. cap. 31. num. 54. to. 10. *Profectò fides in poteſtate eſt... Sed cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur.*

Ad duodecimum dicendum, quod ex S. Auguſtino Petrus perſeveravit in fide per neceſſitatem, non quidem antecedentem, ſed conſequentem ejus liberam voluntatem perſeverandi; dicit enim ibidem: *Quaſi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet, ut vellet*: Hanc autem voluntatem liberrimam in Petro fuiſſe docet Auguſtinus Lib. de Correp. & Grat. cap. 8. num. 17. to. 10. per hæc verba: *Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Cum alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademque res ſepè alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, alium-*

aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob juſtificatus eſt? (b) *Similiter, ſi eadem tentatione duo tententur, & unus ei cedat atque conſentiat; alter idem qui fuerat perſeveret, quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe à caſtitate deficere? Unde? niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio?* (c) *Vocatio verò antè meritum voluntatem operatur. Propterea & ſi quiſquam ſibi tribuit quod venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere quod vocatus eſt. Qui autem vocatus non venit, inchoat meritum ſupplicii, cum vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa: miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Ad miſericordiam pertinet vocatio; ad judicium pertinet beatitudo eorum, qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum, qui venire noluerunt.* (d) *Non ſic Petrus pro quo rogavit Chriſtus ne fides ejus deficeret: Et quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?* (e) *Quomodo ergo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate: cum potius Pelagiani oppugnent Dei gratiam, quâ verè ad bona eligenda, & agenda ſit liberum?* (f) *Habet enim unuſquiſque in voluntate aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala, & eſſe arbor mala.* (g) *Quomodo ergo Deus Pater attrahit ad Filium homines, ſi dimittit, ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum eſt; ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* (h) *Hinc vobis filii ſuperbiæ, inimici gratiæ Dei, O novi hæretici Pelagiani, quiſquis dicit, gratia Dei omnia hominis bona merita præveniri, fatum vobis videtur aſſerere.* (i) *Sed nos ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè, vel malè vivitur, propter juſtum judicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* (k) *Liberi enim arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin, ubi neceſſitas, nec corona eſt. Quis non agnoſcat?*

Quis

Digitized by Google

Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam neget eſſe humanam naturam? Sed in rectè faciendo ideò nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt caritatis. (l) *Cum enim poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur.* (m) *Non enim aliter eſſet virtus in nobis, niſi voluntatem malam ſic non haberemus, ut habere poſſemus; ſed pro hujus minoris virtutis merito, accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem ſic non haberemus, ut nec habere poſſemus. O deſideranda neceſſitas!* (n) *Et revera non erit nobis virtutis neceſſitas felix, quando tanta gratia natura noſtra replebitur, & Deus erit omnia in omnibus, ut mali aliquid velle non poſſit?* (o) *Nunc autem animæ rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium; ſic enim poſſet habere meritum, ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus. Cum ergo oporteat non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, oportebat ut Deus animæ daret liberum arbitrium.* (p) *Melior enim homo eſt, qui voluntate, quam qui neceſſitate bonus eſt. Voluntas igitur libera danda homini fuit.* (q) *Quando verò Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat, profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos. Conſentire autem vocationi, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* (r) *Credere ergo, vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ; ſed in electis præparatur voluntas à Domino.* (ſ) *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi: Utique hi qui vocantem non contemſerunt, ſed credendo ſecuti ſunt, volentes autem ſine dubio crediderunt.* (t) *Præparata eſt ergò Gentium voluntas à Domino, & ut vellent credere juſtèque vivere, quod & nolle potuiſſent, ab illo factum eſt.* (u) *Voluntatem enim non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum. Quid autem quiſque vel ſumat, vel reſpuat, eſt in poteſtate; ſed quo viſo tangatur nulla poteſtas eſt: Fatendum eſt & ex ſuperioribus, & inferioribus viſis animum tangi, ut rationalis ſubſtantia ex utroque ſumat quod voluerit, & ex merito ſumendi vel miſeria, vel beatitas conſequatur* Hactenus ex S. Auguſtino.

AR-

(*a*) Lib. 1. ad Simpl. qu. 2. num. 14. to. 6. (*b*) Lib. 12. de Civ. Dei cap. 6. to. 7. (*c*) Lib. 83. Quæſt. qu. 68. num. 5. to. 6. (*d*) Lib. de Correp. & Grat. cap. 8. num. 17. to. 10. (*e*) Epiſt. 217. ad Vital. cap. 5. num. 16. & cap. 6. num. 23. to. 2. (*f*) Lib. 2. de Actis cum Felic. Manich. cap. 4. to. 8. (*g*) Lib. 2. contra Lit. Petil. cap. 84. num. 186. to. 9. (*h*) Lib. 2. contr. duas Epiſt. Pelag. cap. 6. num. 11. to. 10. (*i*) Lib. 2. contr. Fauſt. Manich. cap. 5. to. 8. (*k*) Lib. de Nat. & Grat. cap. 65. num. 78. to. 10. (*l*) Lib. de Spir. & Lit. c. 31. num. 54. to. 10. (*m*) Lib. 5. Oper. Imperf. num. 71. to. 10. (*n*) Lib. 5. Oper. Imperf. num. 72. tom. 10. (*o*) Lib. contr. Fortunat. Manich. diſput. 1. num. 15. to. 8. (*p*) Lib. 83. Quæſt. quæſt. 2. to. 6. (*q*) Lib. de Spir. & Lit. cap. 33. num. 58. to. 10. (*r*) Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. num. 60. tom. 10. (*ſ*) Lib. de Prædeſt. SS. cap. 5. num. 10. to. 10. (*t*) Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 10. to. 6. (*u*) Lib. 2. Operis Imperf. num. 154. to. 10. (*x*) Lib. 3. de Liber. Arbitr. cap. 25. num. 74. tom. 1.

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis ſit inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis?

Videtur, quod ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis non ſit inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis. Siquidem

I. Lib. de Spirit. & Lit. cap. 33. num. 58. to. 10. docet efficacem Dei gratiam eſſe inſtar luminis, & caloris, quæ cauſæ naturales ſunt, per hæc verba. *Quiſquis crediderit, eique ſe à peccatis omnibus abſolvendum, & à vitiis omnibus ſanandum, & calore, & lumine ejus accendendum, illuminandumque commiſerit, habebit ex ejus gratia opera bona.*

II. Serm. 78. num. 2. to. 5. *Ipſe Jeſus quidem ipſe ſplenduit ſicut ſol, ſe lumen eſſe ſignificans, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod eſt iſte ſol oculis carnis, hoc ille oculis cordis.*

III. Lib. 3. Operis Imperf. num. 166. tom. 10. hæc teſtatur adverſus Julianum Pelagianum. *Cur ergo non confiteris ſine ulla fo-*

rinſecùs ſonante juſſione, Deum occulto inſtinctu, ad quod voluerit efficaciſſime implendum, præparare atque excitare hominum voluntates, qui liberum non defendis intelligendum, ſed præcipitandum extollis arbitrium?

IV. Serm. 99. cap. 6. num. 6. to. 5. *Adulter non fuiſti in illa tua vita præterita plenâ ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque diſcernens, nondum credens in illum qui te neſcientem regebat... Adfuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non conſentires ego terrui; agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admiſiſti.*

V. Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 9. num. 21. to. 10. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: Nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis inſtar eſt cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis. Hanc enim blandam atque ſuavem efficacis gratiæ allicientiam, qua Deus Amantiſſimus Pater voluntates noſtras tractat & agit, ſic S. Doctor proponit, & comprobat.

I. Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. num. 60. to. 10. hæc habet de voluntate credendi: *Non ideò tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt; verumetiam, quia viſorum ſuaſionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs... ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt;*

Sed interiores ſuaſivæ viſiones, per quas volumus, atque credimus, cum poteſtate eiſdem conſentiendi, vel diſſentiendi, ſunt efficax Dei gratia, quæ agunt in nobis inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; quare ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

II. Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 2. to. 6. *Aut vero Cornelius*

Digitized by Google

nelius non credebat Deo, cum eleemoſynis, & orationibus dignum ſe præberet cui Angelus mitteretur; ſed nullo modo iſta operaretur, niſi ante credidiſſet; nullo modo autem credidiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis aut Spiritûs, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur;

Sed admonitiones ſecretæ per viſa mentis aut ſpiritûs, quarum munere Cornelius credebat, ſunt efficax Dei gratia, quæ agunt in nobis inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; hinc ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

III. Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 25. num. 74. to. 1. *Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum. Quid autem quiſque vel ſumat vel reſpuat, eſt in poteſtate; ſed quo viſo tangatur nulla poteſtas eſt;*

Sed viſum alliciens ad faciendum quodlibet, ſub quo eſt in poteſtate vel ſumere, vel reſpuere quidquid libuerit, ſe habet inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; adeoque ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

IV. Lib. 9. de Gen. ad Lit. cap. 14. num. 25. to. 3. *Anima rationalis voluntatis arbitrio vel conſentit viſis, vel non conſentit. Irrationalis autem non habet hoc judicium; pro ſuo tamen genere atque natura, viſo aliquo tacta propellitur. Nec in poteſtate ullius animæ eſt, quæ illi viſa veniant ſivè in ſenſum corporis, ſivè in ipſum ſpiritum interiùs, quibus viſis moveatur appetitus cujuslibet animantis, ac ſic, cum ea viſa per Angelorum obedientiam deſuper miniſtrantur, pervenit juſſio Dei non ſolum ad homines, nec ſolum ad aves, & pecora, verum etiam ad ea, quæ ſub aquis latent, ſicut ad cetum, qui glutivit Jonam;*

Sed viſa, quibus anima rationalis voluntatis arbitrio, non ſicut bruta animantia quæ libero arbitrio carent, vel conſentit vel non conſentit, agunt in nobis inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; proinde ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

 V. Serm.

Digitized by Google

V. Serm. 11. num. 2. to. 5. *Mandat Deus miris modis, qui in cogitationibus loquitur. Dicimus mandaſſe Deum loquendo in corde, ſuggerendo quod opus erat, perſuadendo quod utile erat rationali animæ viduæ mulieris*;

Sed interiores locutiones, ſuggeſtiones, perſuaſiones agunt in nobis inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; quamobrem ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

VI. Lib. de Dono Perſev. cap. 8. num. 20. to. 10. *Qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem*;

Sed cogitationes piæ, per quas habetur fides, ſunt gratia efficax inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; adeoque ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

VII. Lib. 2. contra Maximin. Arian. Epiſcop. cap. 19. to. 8. hæc habet de Sancto Spiritu: *Non ipſe gemit, ſed inſinuans nobis deſiderium ſanctum, nos facit gemere*;

Sed deſiderium ſanctum faciens nos gemere eſt efficax Dei gratia inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; ergo ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

VIII. Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. n. 60. to. 10. *Jam ſi ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; illi autem non ita: Duo ſola occurrunt interim quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo divitiarum! Et: nunquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptiores*;

Sed ſuaſio, & perſuaſio actus ſalutaris eſt efficax Dei gratia inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; quapropter ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

IX. Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 13. to. 6. *Nullius Deus fruſtra miſeretur; cujus autem miſeretur ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*;

Sed Divina vocatio, quæ congruat vocato, & ita congruat

ut

ut vocantem non reſpuat, eſt efficax Dei gratia inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; igitur ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

X. Ad Vital. Epiſt. 217. cap. 2. num. 5. to. 2. *Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntates, ut tantummodo legem ſuam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque ſecreta, ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem legi atque doctrinæ accomodaret aſſenſum, procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare ſufficeret;*

Sed vocatio illa alta atque ſecreta, ſic agens hominis mentem & voluntatem, ut divinæ legi aſſenſum accomodet, eſt efficax Dei gratia inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis; quare ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

XI. Lib. 3. de Conſenſu Evangel. cap. 6. num. 26. to. 3. de gratia Petri hæc ſtatuit: *Mihi videtur illa reſpectio divinitùs facta, ut ei veniret in mentem, quoties eum negaſſet, & quid ei Dominus prædixiſſet, atque ita miſericorditer Domino reſpiciente, pœniteret eum, & ſalubriter fleret;*

Sed trinæ negationis atque præteritæ prædictionis reminiſcentia fuit Petro gratia efficax inſtar cauſæ moralis voluntatem Petri moraliter allicientis; proinde ex S. Auguſtino impulſus gratiæ efficacis eſt inſtar cauſæ moralis voluntatem indifferenter allicientis.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino efficax Dei gratia eſt calor affectivus voluntatem afficiens, & lumen cognoſcitivum afficiens mentem. Poſterioris generis ſunt piæ animæ cognitiones. Prioris generis ſunt pii animæ affectus, videlicet, ſuperni amores, ſuperna deſideria, delectationes ſupernæ, ceterique omnes ſuperni animæ affectus. Hujuſmodi autem ſupernæ illuſtrationes, & affectiones ſupernæ, in homine libera voluntate prædito, agunt inſtar cauſæ moralis indifferenter alliciendo, non autem inſtar cauſæ naturalis irreſiſtibiliter neceſſitando, ſicut agunt in belluis: *Quia non ſicut in lapidi-*

bus

Digitized by Google

bus inſenſatis, inquit S. D. Lib. 2. de Peccat. Merit. & Remiſ. cap. 5. num. 6. to. 10., *aut ſicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis*.

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Aug. Jeſus lumine ſuo agit in oculis mentis, ſicuti ſol lumine ſuo agit in oculis carnis, non quoad vim luminis irreſiſtibilem, ſed quoad munus luminis univerſale. Quemadmodum enim ſol lumine ſuo illuminat oculos omnis carnis, ſic Jeſus lumine ſuo illuminat oculos omnis animæ. Eſt enim *Lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: ut dicitur Joan. cap. 1.

Ad tertium dicendum, quod ex S. Aug. inſtinctus humanus, ſitus in humanis cognitionibus, atque humanis affectibus, agit in homine, utpote libera voluntate prædito, inſtar cauſæ moralis indifferenter voluntatem hominis alliciendo. Inſtinctus autem belluinus, ſitus in cognitionibus, atque affectibus belluinis, agit in belluis, utpotè voluntate libera deſtitutis, inſtar cauſæ naturalis belluinum appetitum irreſiſtibiliter neceſſitando: ſic docet Lib. 9. de Gen. ad Lit. cap. 14. num. 25. tom. 3. *Anima rationalis voluntatis arbitrio vel conſentit viſis, vel non conſentit. Irrationalis autem non habet hoc judicium, pro ſuo tamen genere atque natura, viſo aliquo tacta propellitur*.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Aug. terror ſicuti ceteri animi motus divinitûs excitati, libertatem hominis de ſede ſua non deturbant. Comparans enim S.D. Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 1. num. 2. to. 1. motum lapidis naturalem cum motu libero voluntatis, inquit: *Verumtamen in eo diſſimilis, quod in poteſtate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferiùs; animus autem, dum non vult, non ita movetur, ut ſuperioribus deſertis, inferiora deligat*.

Ad quintum dicendum, quod ex S. Aug. inter ea quæ facit Deus in homine bona, quæ non facit homo, recenſentur gratiæ primo-prævenientes, actus vitales animæ indeliberati, quos non facit homo moraliter, & electivè; ſed dumtaxat phyſicè, & productivè. Actus autem hujuſmodi agunt in nobis inſtar cauſæ

Digitized by Google

cauſæ moralis alliciendo, non autem inſtar cauſæ naturalis neceſſitando, ut aſſerit S. D. Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. num.60. to. 10. ſic: *Nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*: Et Lib.3. de Lib. Arb. cap.25. num. 74. tom. 1.: *Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum; quid autem quiſque vel ſumat vel reſpuat, eſt in poteſtate; ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus, ſive extrinſecùs, ſive intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt.* (b) *Sic Cornelius nullo modo crediddiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis aut ſpiritûs, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur.* (c) *Voluntatem quippe non allicit ad faciendum quodlibet niſi aliquod viſum; quid autem quiſque vel ſumat vel reſpuat eſt in poteſtate; ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt.* (d) *Anima igitur rationalis voluntatis arbitrio vel conſentit viſis, vel non conſentit. Irrationalis autem non habet hoc judicium; pro ſuo tamen genere atque natura, viſo aliquo tacta propellitur.* (e) *Sic mandat Deus miris modis, qui in cogitationibus loquitur. Dicimus mandaſſe Deum loquendo in corde, ſuggerendo quod opus erat, perſuadendo quod utile erat.* (f) *Ipſe enim eſt qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem.* (g) *Inſinuans nobis etiam deſiderium ſanctum nos facit gemere*: (h) *Cur autem illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; illi autem non ita? Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat*: O *altitudo divitiarum! Et*: *Nunquid iniquitas apud Deum?* (i) *Nullius tamen Deus fruſtra miſeretur, cujus autem miſeretur ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* (k) *Niſi enim Deus, vocatione illa alta atque ſecretâ, ſic hominis ageret ſenſum, ut legi atque doctrinæ accommodaret aſſen-*

ſenſum, proculdubio eam legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare ſufficeret. (l) *Alta etiam atque ſecreta vocatio fuit illa reſpectio divinitùs facta Petro, ut ei veniret in mentem quoties eum negaſſet, & quid ei Dominus prædixiſſet, atque ita miſericorditer Domino reſpiciente, pæniteret eum, & ſalubriter fleret.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. num. 60. tom. 10. (*b*) Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 2. to. 6. (*c*) Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 25. num. 74. tom. 1. (*d*) Lib. 9. de Gen. ad Lit. cap. 14. num. 25. tom. 3. (*e*) Serm. 11. num. 2. tom. 5. (*f*) Lib. de Dono Perſever. cap. 8. num. 20. tom. 10. (*g*) Lib. 2. contra Maxim. Epiſ. Arrian. cap. 19. to. 8. (*h*) Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. num. 60. to. 10. (*i*) Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 13. to. 6. (*k*) Ad Vitalem Epiſt. 217. cap. 2. num. 5. tom. 2. (*l*) Lib. 3. de Conſenſ. Evangeliſt. cap. 6. num. 26. to. 3.

ARTICULUS III.

Vtrum ex S. Auguſtino delectatio cæleſtis ſit nobis irreſiſtibilis bene agendi neceſſitas?

Videtur, quod ex S. Auguſtino delectatio cœleſtis ſit nobis irreſiſtibilis bene agendi neceſſitas. Auguſtini enim ſunt ſubjectæ ſententiæ.

I. IN Epiſt. ad Galat. num. 49. tom. 3. *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*; ac proinde ſi res cœleſtis nos amplius delectat, ſecundum eam operemur neceſſe eſt.

II. Lib. de Spir. & Lit. cap. 29. num. 51. tom. 10. *Inſpirata gratiæ ſuavitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.*

III. Ibidem cap. 35. num. 63. *Ecce quomodo ſine exemplo eſt in hominibus perfecta juſtitia, & tamen impoſſibilis non eſt; fieret autem, ſi tanta voluntas adhiberetur, quanta ſufficit tantæ rei: eſſet autem tanta, ſi & nihil eorum, quæ pertinent ad juſti-*

Digitized by Google

juſtitiam, nos lateret, & ea ſic delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis doloriſvè impedit, delectatio illa ſuperaret; quod ut non ſit, non ad impoſſibilitatem, ſed ad judicium Dei pertinet. Quis enim neſciat non eſſe in hominis poteſtate quid ſciat, nec eſſe conſequens, ut, quod appetendum cognitum fuerit, appetatur, niſi tantùm delectet, quantùm diligendum eſt.

IV. In Enchir. cap. 81. num. 22. tom. 6. *Profectò vincimur, niſi divinitùs adjuvemur, ut non ſolum videamus, quid faciendum ſit, ſed etiam accedente ſanitate, delectatio juſtitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, ſcientes videnteſque peccamus.*

V. Ibidem cap. 118. num. 31. *Si autem reſpexerit Deus, ut ad implenda quæ mandat, ipſe adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiſcitur adverſus carnem fortiore robore caritatis, ut quamvis adhuc ſit quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate ſanata, ex Fide tamen juſtus vivat, juſtèque vivat, in quantùm non cedit malæ concupiſcentiæ, vincente delectatione juſtitiæ.*

VI. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 107. tom. 10. *Ab hac ergo neceſſitate ſervitutis ille liberat, qui non ſolum dat præcepta per legem, verum etiam donat per Spiritum caritatem, cujus delectatione vincatur delectatio peccati; alioquin perſeverat invicta, & ſervum ſuum tenet.*

VII. Lib. 2. de Peccator. Merit. & Remiſſ. cap. 18. num. 32. tom. 10. *Deus Sanctis ſuis alicujus operis juſti aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam, vel victricem delectationem.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas; hanc enim neceſſitatem cum noſtra libertate pugnantem ſic S. Doctor a voluntatibus noſtris eliminat.

Digitized by Google

I. Lib. 5. de Civit. Dei cap. 1. tom. 7. hæc habet: *Quale, deindè judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœleſtis neceſſitas adhibetur?*

Ergo ex S. Auguſtino, ut juſtum Deo de hominum rectè & malè factis relinquatur judicium, nulla nobis adhibenda eſt cœleſtis neceſſitas; ac proinde delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

II. Lib. 3. Oper. Imperf. num. 112. tom. 10. *Nemo, niſi per gratiam Chriſti, ad bonum quod vult agendum, & ad malum quod odit non agendum, poteſt habere liberum voluntatis arbitrium, non ut voluntas ejus ad bonum, ſicut ad malum captiva rapiatur, ſed ut a captivitate liberata, ad Liberatorem ſuum liberali ſuavitate amoris, non ſervili amaritudine timoris attrahatur.*

III. In Pſal. 118. Serm. 17. num. 3. tom. 4. *Docet Deus ſuavitatem, inſpirando delectationem... Docet ſcientiam, inſinuando cognitionem. Cum itaque alia ſint quæ ideo diſcimus, ut tantummodo ſciamus; alia vero ut etiam faciamus, quando Deus ea docet, ſic docet ut ſcienda ſciamus, aperiendo veritatem, ſic docet ut facienda faciamus, inſpirando ſuavitatem;*

Ergo ex S. Auguſtino delectatio cœleſtis eſt liberalis quædam amoris ſuavitas attrahens quidem voluntatem liberam, ſed non rapiens voluntatem captivam, eſt blanda quædam inſpiratio ſuavitatis, per quam Deus docendo ſuaviter influit in humanos animos; ac proindè ex S. Auguſtino delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

IV. Lib. contra Fortun. Manich. diſp. 1. num. 15. tom. 8. *Animæ rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium, ſic enim poſſet habere meritum, ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus; cum ergo oporteat non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, oportebat ut Deus animæ daret liberum arbitrium;*

Ergo ex S. Auguſtino eſt de ratione liberi arbitrii, & boni meriti ex illo emanantis, ut boni ſimus non neceſſitate, ſed voluntate; cum autem ſub delectatione cœleſti, quæ nobis ſit irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas, boni ſimus neceſſitate, non volun-

Digitized by Google

voluntate; ex S. D. deducitur, quod delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

V. Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 25. num. 74. tom. 1. *Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum: quid autem quiſque vel ſumat, vel reſpuat, eſt in poteſtate, ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt. Fatendum eſt ex ſuperioribus, & inferioribus viſis animum tangi, ut rationalis ſubſtantia ſumat ex utroque quod voluerit, & ex merito ſumendi, vel miſeria, vel beatitas conſequatur*;

Ergo ex S. Auguſtino propoſito duplici objecto delectabili, cœleſti & terreno, delectatione ſua cœleſti ac terrena, voluntatem utroque alliciente, eſt in poteſtate animæ ſumere pro libito quod voluerit, ex qua libera electione verum meritum, ac juſtum præmium proficiſcuntur; ac proinde ex S. Doctore delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

VI. Lib. 2. contra Lit. Petil. cap. 84. num. 186. tom. 9. *Si tibi proponam quæſtionem; quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſis eam difficile ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent*;

Ergo ex S. Auguſtino ſub delectatione cœleſti, quâ Deus Pater attrahit ad Filium homines, perſeverat liberum voluntatis arbitrium, quo humana voluntas, cœleſti delectatione perfuſa, pro libito eligit quidquid voluerit, conſenſum, videlicet, vel diſſenſum; ac proinde ex S. Doctore delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

VII. Ad Honorat. Epiſt. 140. de Gratia Nov. Teſtam. cap. 2. num. 3. tom. 2. hæc de homine rationis uſum jam aſſecuto confirmat: *Poſteaquàm venerit in ætatem, quâ in eo rationis uſus evigilet, poteſt adjuta divinitùs voluntate eligere alteram vitam, cujus in mente gaudium eſt, cujus interna atque æterna felicitas. Ineſt quippe homini anima rationalis, ſed intereſt ejuſdem rationis uſu, quònam potius voluntatem convertat, utrum ad bona exterioris, & inferioris; an ad bona*

na interioris, & ſuperioris naturæ; ideſt, utrum ut fruatur corpore, & tempore; an ut fruatur Divinitate, atque æternitate. In quadam quippe medietate poſita eſt, infra ſe habens corporalem creaturam, ſupra ſe autem ſui, & corporis Creatorem;

Ergo ex S. Auguſtino objecto duplici bono delectabili, cœleſti & terreno, duplici pariter delectatione cœleſti & terrena circumfuſo, eſt in animæ arbitrio eligere vel delectabile ſuperius præ inferiori, vel delectabile inferius præ ſuperiori, & voluntatem convertere ad inferiorem, ſuperiori repudiata, vel ad ſuperiorem, inferiori poſthabita voluptate; ac proinde ex S. D. delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

VIII. Tract. 26. in Joan. num. 4. tom. 3. *Quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis. Porrò ſi Poetæ dicere licuit: Trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas ſed voluptas, non obligatio ſed delectatio: Quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur juſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt. An vero habent corporis ſenſus voluptates ſuas, & animus deſeritur a voluptatibus ſuis?*

Ergo ex S. Auguſtino cœleſtis illa animi voluptas & delectatio, cujus divino munere homines pertrahuntur ad Chriſtum, ab omni penitus irreſiſtibilis neceſſitatis vinculo ſejuncta eſt, ac remota; ac proinde ex S. Doctore delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

IX. Eodem Tract. 26. in Jo. num. 7. tom. 3. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me: videte quomodo trahit Pater, docendo delectat, non neceſſitatem imponendo;*

Ergo ex S. Auguſtino dum cœleſti interioris doctrinæ delectatione Deus Pater allicit, atque perducit ad Filium homines, nullam illis veniendi neceſſitatem imponit; ac proinde ex S. Doctore delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

X. Lib.

Digitized by Google

X. Lib. de Nat. & Grat. cap. 65. num. 78. tom. 10. his verbis ſententiam S. Hieronymi Presbyteri Lib. 2. contra Jovinianum a Pelagio allegatam approbat: *Item, quod ait, à memorato dictum eſſe Presbytero: Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt. Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam neget eſſe humanam naturam? Sed in rectè faciendo ideò nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt caritatis;*

Ergo ex S. Auguſtino toto corde ſententiam S. Hieronymi amplectente, in rectè faciendo nullum eſt vinculum neceſſitatis, nec ad virtutem neceſſitate trahimur, quia ubi neceſſitas, nulla corona eſt; adeoque ex S. Doctore delectatio cœleſtis, quâ ad virtutem, & ad rectè faciendum trahimur, non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi neceſſitas.

XI. Serm. 159. de Verb. Apoſtol. cap. 2. num. 3. & 4. & cap. 4. num. 4. & cap. 5. num. 6. & cap. 6. num. 7. tom. 5. *Inter omnia quæ te delectant, plus te delectet ipſa juſtitia. Non ut alia non delectent, ſed plus ipſa delectet... Juſtitia ſic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes... Interrogo utrum ames juſtitiam? Reſpondebis: Amo, quod non reſponderes veraciter, niſi aliquatenus delectaret; non enim amatur, niſi quod delectat.... Ergo præ omnibus voluptatibus, hoc eſt, delectationibus licitis, amanda eſt juſtitia... Præponite delectationi carnis delectationem mentis. Carnem quippe veſtram delectant illicitæ voluptates, mentem veſtram delectet inviſibilis, pulchra, caſta, ſonora, dulcis juſtitia... Præponenda eſt auro juſtitia, delectando præponenda eſt... Ducat vos ad rectè facta ſuavitas, & dulcedo juſtitiæ. Amate juſtitiam, quomodo amaſtis iniquitatem... Jam tibi dicitur... Frui me vis? Contemne quidquid te aliud delectat, contemne pro me;*

Ergo ex Sancto Auguſtino juſte ac ſapienter præcipitur, conſulitur, ſuadetur homini Juſtitiæ delectatio deliberata; ac proinde ex S. D. delectatio deliberata Juſtitiæ non eſt homini neceſſaria, ſed libera; nihil enim juſtè ac ſapienter præcipitur, conſulitur, ſuadetur homini, quod non ſit ipſi liberum, ſed

illi

Digitized by Google

illi ſit neceſſarium; ſed delectatio deliberata conſequens cœleſtem delectationem indeliberatam, quæ ſit neceſſitas irreſiſtibilis delectationis deliberatæ, non eſt homini libera, ſed necesſaria; quare ex S. Auguſtino delectatio deliberata non conſequitur cœleſtem delectationem indeliberatam, quæ ſit neceſſitas irreſiſtibilis delectationis deliberaræ; adeoque ex S. Doctore delectatio cœleſtis non eſt nobis irreſiſtibilis benè agendi, ſeu actus boni neceſſitas.

XII. Lib. 6. de Muſica cap. 11. num. 29. tom. 1. *Nos ipſos, inter illa quæ infra nos ſunt, & illa quæ ſupra nos ſunt, ita Deo & Domino noſtro opitulante, ordinemus, ut inferioribus non offendamur, ſolis autem ſuperioribus delectemur*;

Ergo ex S. Auguſtino comparanda conſulitur cœleſtis delectatio deliberata; ſed ſi ſubeſt irreſiſtibili neceſſitati, ſtultè comparanda conſulitur; adeoque ex S. Auguſtino cœleſtis delectatio deliberata non ſubeſt irreſiſtibili neceſſitati; ac proinde delectatio cœleſtis indeliberata non eſt nobis irreſiſtibilis deliberatæ delectationis neceſſitas; & hinc nullius eſt rectè facti neceſſitas.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino quod amplius, ſeu efficacius nos delectat, delectatione voluntaria, deliberata, & ſimul efficaci, in conſpectu meræ velleitatis circa oppoſitum, ſecundum id operemur, opere & actu externo, neceſſe eſt, neceſſitate operis & actus externi conſequente efficacem delectationem deliberatam, ſeu imperium efficax voluntatis, cui exteriores potentias non impeditas ſed expeditas obtemperare, neceſſe eſt, neceſſitate quidem phyſica, ſed conſequenti, quam voluntas pro libito ſuo injungit potentiis externis ſibi ſubjectis; ac proinde neceſſitate nobis evitabili. Hæc enim habet S. Doctor loco citato. *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt: ut verbi gratia: Occurrit forma ſpecioſæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis; ſed ſi plus delectat pulchritudo illa intima, ac ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam quæ eſt in Fide Chriſti, ſecundum hanc vivimus, & ſecundum hanc operamur*. Non eſt igitur ibi ſermo de gratia efficaci præveniente, & indeliberata, quæ aliquan-

quando ſita eſt in delectatione cœleſti præveniente, atquè indeliberatâ; ſed de caſta delectatione diliberata, ſeu de caſto voluntatis decreto atque imperio, quo homo caſtus, inter duas allicientias ſeu motiones oppoſitas conſtitutus, pudicam ex gratia, impudicam ex concupiſcentia, hinc inde moraliter hominem allicientes, prima ad actus pudicos, ad impudicos altera, ille ſuæ voluntatis arbiter eligit atque decernit preferre atque anteponere voluptatem caſtam voluptati venereæ. Ex hoc autem efficaci imperio ac decreto neceſſariò proficiſcuntur externa opera caſta, atque exterior vita pudica, neceſſitate ſane evitabili, utpote quæ liberum conſequitur voluntatis imperium. Hæc eſt ſincera & ingenua Auguſtinianæ illius ſententiæ interpretatio, ut ex toto contextu colligitur, videlicet: *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur, neceſſe eſt.*

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino Deus gratiæ ſuæ efficacis ſuavitate facit plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit. Id autem non facit Deus irreſiſtibiliter neceſſitando, ſed moraliter alliciendo, ut locus merito relinquatur. Audiatur Sanctus Doctor Lib. contra Fortunat. Manich. diſput. 1. num. 15. tom. 8. *Animæ rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium, ſic enim poſſet habere meritum, ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino efficax delectatio juſtitiæ vim habet ſuperandi caducas, fluxaſque corporis voluptates, ſed electiva incolumi libertate, citra omnem irreſiſtibilem neceſſitatem. Siquidem, teſte Auguſtino cum Hieronymo, Lib. de Nat. & Grat. cap. 65. num. 78. tom. 10. *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino delectatio juſtitiæ vincit quandoque in nobis noxias corporis delectationes: at remota quacumque inſuperabili neceſſitate, ut Dei judicium de hominum factis ſanctum & juſtum eſſe demonſtretur, ut docet Lib. 5. de Civ. Dei cap. 1. tom. 7. *Quale judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœleſtis neceſſitas adhibetur?*

Ad

Ad quintum dicendum, quod ex S. Auguſtino malam concupiſcientiam, fortiore robore caritatis, non infrequenter vincit delectatio juſtitiæ, ſed ab inevitabili ſejuncta neceſſitate. Etenim Tract. 26. in Jo. num. 4. tom. 3. illud Poetæ uſurpans ait: *Trahit ſua quemque voluptas: non neceſſitas, ſed voluptas: non obligatio, ſed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur juſtitia?*

Ad ſextum dicendum, quod ex S. Auguſtino delectatione caritatis vincitur delectatio peccati; ita tamen, ut inter utramque delectationem, hinc caritatis, inde peccati, conſtituta *rationalis ſubſtantia, ſumat quod voluerit, & ex merito ſumendi, vel miſeria, vel beatitas conſequatur*: ut habetur Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 25. num. 74. tom. 1.

Ad ſeptimum dicendum, quod ex S. Auguſtino efficax delectatio cœleſtis eſt delectatio victrix, & cœleſtis hujus beneficio delectationis, Deus Pater devictum hominem ad Filium adducit, excluſa tamen qualibet inſuperabili veniendi neceſſitate; nam ut admonet S. Doctor Tract. 26. in Joan. num. 7. tom. 3. *Videte quomodo trahit Pater: docendo delectat, non neceſſitatem imponendo.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Quale judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cæleſtis neceſſitas adhibetur?* (b) *Non enim voluntas hominis ad bonum, ſicut ad malum captiva rapitur, ſed ut a captivitate liberata, ad Liberatorem ſuum liberali ſuavitate amoris, non ſervili amaritudine timoris attrahatur.* (c) *Docet ſiquidem Deus ſuavitatem, inſpirando delectationem, docet ſcientiam, inſinuando cognitionem.* (d) *Animæ etenim rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium; ſic enim poſſet habere meritum, ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus.* (e) *Voluntatem quidem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum; quid autem quiſque vel ſumat, vel reſpuat, eſt in poteſtate, ut rationalis ſubſtantia ſumat ex utroque, quod voluerit, & ex merito ſumendi, vel miſeria, vel beatitas conſequatur.* (f) *Poteſt*

teſt igitur homo, adjutâ divinitùs voluntate, eligere alteram vitam, cujus in mente gaudium eſt, cujus interna, atque æterna felicitas. Sed intereſt rationis uſu, quònam potius voluntatem convertat, utrum ut fruatur corpore, & tempore; an ut fruatur Divinitate, atque Æternitate. (g) *Sic Deus Pater attrahit ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, ut quis quod voluerit, eligat.* (h) *Traheris ergo non ſolum voluntate; verum etiam voluptate. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis. Porrò ſi Poetæ dicere licuit: Trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas ſed voluptas, non obligatio ſed delectatio, quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Chriſtum?* (i) *Quamobrem videte quomodo trahit Pater: Docendo delectat, non neceſſitatem imponendo.* (k) *Siquidem liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt.* (l) *Si autem liberi arbitrii nos condidit Deus, inter omnia, quæ delectant, plus te delectet ipſa juſtitia. Juſtitia ſic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes. Ergo præ omnibus voluptatibus, hoc eſt, delectationibus licitis amanda eſt juſtitia. Præponite delectationi carnis delectationem mentis; carnem quippe veſtram delectant illicitæ voluptates, mentem veſtram delectet pulchra, caſta, ſonora, dulcis juſtitia.* (m) *Nos igitur, inter illa quæ infra nos ſunt, & illa quæ ſupra nos ſunt, ita Deo & Domino noſtro opitulante, ordinemus, ut inferioribus non offendamur, ſolis autem ſuperioribus delectemur.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. 5. de Civ. Dei cap. 1. to. 7. (*b*) Lib. 3. Oper. Imperf. num. 112. to. 10. (*c*) In Pſal. 118. Serm. 17. num. 3. to. 4. (*d*) Lib. contra Fortunat. Manich. diſp. 1. num. 15. to. 8. (*e*) Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 25. num. 74. to. 1. (*f*) Ad Honoratum Epiſt. 140. de Grat. Nov. Teſt. cap. 2. num. 3. to. 2. (*g*) Lib. 2. contra Lit. Petil. cap. 84. num. 186. to. 9. (*h*) Tract. 26. in Joan. num. 4. to. 3. (*i*) Tract. 26. in Joan. num. 7. tom. 3. (*k*) Lib. de Nat. & Grat. cap. 65. num. 78. to. 10.

Digitized by Google

(*l*) Serm. 159. de Verb. Apoſt. cap. 2. & cet. to. 5. (*m*) Lib. 6. de Muſica cap. 11. num. 29. to. 1.

ARTICULUS IV.

Utrum ex S. Auguſtino delectatio terrena ſit nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas?

Videtur, quod ex S. Auguſtino delectatio terrena ſit nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas: Teſtimonia autem S. Doctoris ſunt hujuſmodi.

I. IN Pſalm. 64. num. 4. to. 4. *Indè ſunt delectationes carnales, quæ nobis illicitè etiam multa ſuggerunt, quibus non conſentimus; ſed tamen non conſentiendo contendimus. Primò ergo concupiſcentia carnis ſequentes duxit nos: Poſtea renitentes traxit nos: Deinde accepta gratia cœpit nos nec ducere, nec trahere; ſed adhuc contendere nobiſcum. Poſt contentionem erit victoria. Modò te & ſi oppugnat, non expugnet. Poſtea cum abſorpta fuerit mors in victoriam, & pugnare ceſſabit.*

II. Lib. de Perf. Juſt. cap. 6. num. 15. tom. 10. *Peccatum eſt autem, cum vel non eſt caritas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quam debet, ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit. Quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit.*

III. Lib. 1. Retract. cap. 15. num. 3. tom. 1. *Quiſquis autem ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum, ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit, utique volens peccat; quoniam qui poteſt reſiſtere, non cogitur cedere. Qui autem cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati.*

IV. Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 18. num. 52. to. 1. *Nec mirandum eſt, quod vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat, vel reſiſtente carnali conſuetudine, quæ violentia mortalis ſucceſſionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum ſit, & velit,*

Digitized by Google

lit, nec poſſit implere. Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque, quo bene uti noluit, cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Id eſt autem, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quod rectum eſt, & qui rectè facere cum poſſet, noluit, amittat poſſe, cum velit. Nam ſunt re vera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia: ignorantia, & difficultas,....ſed approbare falſa pro veris ut erret invitus, & reſiſtente atque torquente dolore carnalis vinculi, non poſſe à libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Cum autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa ſcilicet, in qua homo factus eſt, loquimur.

V. Lib. contra Fortun. Manich. Diſp. 2. num. 22. to. 8. *Poſteaquam autem libera ipſe voluntate peccavit, nos in neceſſitatem præcipitati ſumus, qui ab ejus ſtirpe deſcendimus... Hodie namque in noſtris actionibus, antequam conſuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi; cum autem iſta libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animam pernicioſa dulcedo & voluptas, eâdem ipſa conſuetudine ſic implicatur, ut poſtea vincere non poſſit, quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt. Videmus multos jurare nolle, ſed quia jam conſuetudinem lingua tenuit, non poſſe refrenare, quin ea exeant de ore ipſorum, quæ non poſſumus dicere ad mali ſtirpem non pertinere.*

VI. Lib. 5. Oper. Imperf. num. 61. to. 10. *Nec aliunde putandum eſt, ſanari poſſe peccati neceſſitatem, niſi miſerante illo, cujus alto juſtoque judicio, ſubſecuta eſt poſteros ejus, qui ſine ulla neceſſitate peccavit.*

VII. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 105. to. 10. *Cum igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate ſed voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt, undè ab eis liberum eſt abſtinere: & peccatis de ignorantiæ, vel affectionum neceſſitate venientibus, quæ jam non ſolum peccata, verum etiam pœnæ ſunt peccatorum, plenum ſit genus humanum, quomodo dicis, definitionibus noſtris, peccata nec in moribus inveniri?*

VIII. Enarrat. 2. in Pſal. 30. num. 14. to. 4. *Cupiditates noſtræ,*

ſtræ, quando validæ ſunt, & quando eis ſervimus, neceſſitates vocantur.

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas, quod inconcuſſis, atque perſpicuis S. Auguſtini teſtimoniis ita probatur.

I. Lib. de Contin. cap. 5. num. 14. to. 6. hæc teſtatur de Manichæis: *Tunc ſe peccare dicunt, quando natura mali prævalet naturæ Dei: hæc Manichæorum eſt immundiſſima inſania*;

Ergo ex S. Auguſtino immundiſſima Manichæorum inſania eſt, qua dicunt tunc ſe peccare, quando natura mali in ipſis prævalet naturæ Dei, irreſiſtibiliter ad peccatum neceſſitando; ſimiliter igitur ex S. Doctore immundiſſima eorum inſania eſt, qua dicunt tunc ſe peccare, quando delectatio terrena in ipſis prævalet delectationi cœleſti, irreſiſtibiliter ad peccatum neceſſitando; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

II. In Pſal. 72. num. 22. to. 4. *Sciatis, Fratres, multos diſputare, & dicere.... Quia ſtellis ſubjectæ ſunt voluntates noſtræ, quia unuſquiſque non pro meritis agitur, ſed neceſſitate ſtellarum ſuarum. Doctrina mala: doctrina impia*;

Ergo ex S. Auguſtino doctrina mala, doctrina impia illa eſt, quæ docet, quod unuſquiſque agitur neceſſitate ſtellarum ſuarum; hinc ſimiliter ex S. Doctore doctrina mala, doctrina impia illa eſt, quæ docet, quod unuſquiſque agitur neceſſitate delectationum ſuarum; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

III. In Pſal. 7. num. 19. to. 4. *Iſta confeſſio ita Dominum laudat, ut nihil poſſint impiorum blaſphemiæ, qui volentes excuſare facinora ſua, nolunt ſuæ culpæ tribuere, quod peccant: hoc eſt, nolunt ſuæ culpæ tribuere culpam ſuam. Itaque aut fortunam, aut fatum inveniunt, quod accuſent, aut diabolum, cui non conſentire in poteſtate noſtra eſſe voluit, qui nos fecit, aut aliam naturam inducunt, quæ non ſit ex Deo*;

Ergo

Digitized by Google

Ergo ex S. Auguſtino impiorum blaſphemia eſt, tribuere peccata ſua, aut fortunæ, aut fato, aut diabolo, aut naturæ mali, irreſiſtibiliter ad peccatum neceſſitanti; quare ſimiliter ex S. Doctore impiorum blaſphemia eſt tribuere peccata ſua delectationi terrenæ, irreſiſtibiliter ad peccatum neceſsitanti; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſsitas.

IV. Lib. 5. Confeſs. cap. 10. num. 19. tom. 1. *Adhuc mihi videbatur non eſſe nos, qui peccamus; ſed neſcio quam aliam in nobis peccare naturam: & delectabat ſuperbiam meam extra culpam eſſe, & cum aliquid mali feciſſem, non confiteri me feciſſe, ut ſanares animam meam, quoniam peccabat tibi; ſed excuſare eam amabam, & accuſare neſcio quid aliud, quod mecum eſſet, & ipſe non eſſem;*

Ergo S. Auguſtinus vitio ſuperbiæ ſuæ tribuebat, quod Manichæus in peccatis ſuis accuſabat naturam mali, quæ ſecum eſſet, & ipſe non eſſet, irreſiſtibiliter ſe ad peccatum neceſſitantem; adeoque ſimiliter ex S. Doctore vitio ſuperbiæ tribuendum eſt illi, qui in peccatis ſuis terrenam accuſat delectationem, quæ ſecum eſt, & ipſe non eſt, irreſiſtibiliter ſe ad peccatum neceſſitantem; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

V. Epiſt. 246. ad Lampad. num. 3. to. 2. *Quando ergo quiſque, cum reprehendi cœperit, cauſam convertit in fatum, & ideo ſe culpari non vult, quia fato ſe dicit coactum feciſſe id quod arguitur: redeat ad ſeipſum, ſervet hoc in ſuis, non caſtiget ſervum furem, non de contumelioſo filio conqueratur, vicino improbo non minetur. Quid enim horum faciens, juſte facit, ſi omnes a quibus injurias patitur, non culpâ ſuâ, ſed fato impelluntur, ut faciant?*

Ergo ex S. Auguſtino ſub fatali neceſsitate peccandi, nulla eſt juſta pœna, nulla juſta reprehenſio, nulla juſta querela, nulla animadverſio juſta contra peccantem; hinc ſimiliter ex S. Doctore ſub delectatione terrena, quæ ſit irreſiſtibilis, ac proinde fatalis quædam peccandi neceſſitas, nulla eſt juſta pœna, nulla juſta querela, nulla juſta reprehenſio, nulla animadverſio juſta

Digitized by Google

juſta contra peccantem; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

VI. Serm. 128. cap. 6. num. 8. tom. 5. *Delectat & adulterium? Contradicatur, reſiſtatur, repugnetur; non enim non habes, unde repugnes. Deus tuus in te eſt, ſpiritus bonus datus eſt tibi. Et tamen permittitur ipſa caro concupiſcere adverſus ſpiritum ſuggeſtionibus pravis, delectationibus genuinis;*

Ergo ex S. Auguſtino contradicendum, repugnandum, reſiſtendum eſt delectationi terrenæ; quare ex S. Auguſtino Dei munere poſſumus contradicere, repugnare, reſiſtere terrenæ delectationi, non quidem in ſenſu diviſo a mala delectatione, videlicet, ex hypotheſi quod non ſit delectatio mala, quæ nos ad peccandum impellat; quia poſſe hac ratione reſiſtere, re vera eſt non poſſe reſiſtere: ſic enim imbellis puer reſiſtere poterit luctatori toroſo, videlicet, ex hypotheſi quod non adſit luctator validus, qui puerum imbellem impellat; at reſiſtere re vera poſſumus in ſenſu compoſito malæ delectationis, videlicet, ex hypotheſi, quod adſit delectatio mala, quæ nos ad peccandum impellat. Id enim eſt, nec aliud quidpiam, vere ac proprie *reſiſtere*. Siquidem patientem agenti *reſiſtere*, nihil eſt aliud, quam patientem impulſui agentis contranitendo obſiſtere; adeoque *reſiſtentia*, quæ ſit vera & propria, & non mere fictitia & metaphorica, nihil eſt aliud, quam *Contraniſus patientis objectus contra impulſum agentis*; ac proinde quotieſcumque vel non adeſt agens, vel nullus eſt impulſus agentis, vel non adeſt patiens, vel nullus eſt contraniſus patientis objectus contra impulſum agentis, nulla prorſus eſt vera & propria, tum Philoſophica, tum Theologica reſiſtentia. Quemadmodum nulla eſt vera & propria pugna, nulla vera & propria lucta, nulla vera & propria decertatio, ubi nullus eſt niſus ſimul & contraniſus, inter plures mutuò pugnantes, luctantes, & decertantes. Quamobrem ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

VII. Serm. 8. cap. 5. num. 6. tom. 5. *Ratio quæ præſidet in mente, motus inferiores carnis, tanquam regens, & dominans frenare debet, non immoderate, & illicite paſſim, vageque*

que

Digitized by Google

que laxare. Homo autem ideo ſemper movere poteſt, quia & refrenare motum poteſt. Tibi dominationem rationis Creator dedit, tibi præcepta continentiæ, tanquam in beſtias inferiores lora, conceſſit. Tenes tu, quod pecus non poteſt;

Ergo ex S. Auguſtino reſidet apud hominem poteſtas, dominium, regimen, ac proinde arbitrium liberum ab omni irreſiſtibili neceſſitate ſupra ſubjectas ſibi terrenas delectationes; adeoque ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

VIII. Lib. de Utilit. Jejun. cap. 4. num. 5. tom. 6. *Habet caro ex conditione mortali quaſi quoſdam terrenos appetitus ſuos. In hos tibi jus freni conceſſum eſt. Regat te Præpoſitus, ut poſſit à te regi ſubjectus. Infra te eſt caro tua, ſuprà te eſt Deus tuus. Cum vis ut ſerviat tibi caro tua, admoneris quomodo te oporteat ſervire Deo tuo. Attendis quod ſub te eſt, attende & quod ſupra te eſt. Leges in inferiorem non habes, niſi a Superiore;*

Ergo ex S. Auguſtino habet homo a Deo ſuo jus freni, poteſtatemque legislativam ſupra ſibi ſubjectam, & inferiorem delectationem terrenam; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

IX. Lib. 11. de Gen. ad Lit. cap. 7. num. 9. tom. 3. hæc de Angelica, Humanaque natura decernit. *Sicut ratio vera docet, meliorem eſſe naturam, quam prorſus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet, etiam illam bonam eſſe, quæ habet in poteſtate illicitam delectationem, ſi extiterit, ita cohibere, ut non ſolùm de ceteris licitis, recteque factis, verum etiam de ipſius pravæ delectationis cohibitione lætetur;*

Ergo ex S. Auguſtino natura humana habet in poteſtate illicitam delectationem ita cohibere, ut de ipſius pravæ delectationis cohibitione lætetur; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

X. Lib. 5. contra Julian. cap. 15. num. 56. tom. 10. hæc tradit. *Quamvis ergo aliam legem videamus in membris noſtris, repugnantem legi mentis noſtræ, non ſolum tamen neceſſitatem criminis non habet homo, ſed habet potius honorem laudis, cujus ſpiri-*

Digitized by Google

ſpiritus, ſpiritali munere adjutus, adverſus carnis concupiſcentiam concupiſcit;

Ergo ex S. Auguſtino homo ſub delectatione terrena criminis neceſſitatem non habet; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

XI. Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. num. 7. to. 10. *Non itaque, ſicut dicunt nos quidam dicere, & iſte audet inſuper ſcribere, omnes in peccatum veluti inviti carnis ſuæ neceſſitate coguntur; ſed ſi jam in ea ætate ſunt, ut propriæ mentis utantur arbitrio, & in peccato ſuâ voluntate retinentur, & a peccato in peccatum ſuâ voluntate præcipitantur. Neque enim agit in eis, etiam qui ſuadet & decipit, niſi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo, & cæcitatis, & infirmitatis*;

Ergo ex S. Auguſtino, voluntatem pro excluſione irreſiſtibilis neceſſitatis more ſuo uſurpante, non coguntur homines in peccatum ſuæ carnis neceſſitate, ſed in peccatum voluntate, non neceſſitate præcipitantur; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

XII. Lib. 22. contra Fauſt. Manichæum cap. 22. tom. 8. ſic diſſerit de fabuloſa Manichæorum pugna animas inter, & principium mali. *Cui ſi reſiſtere non valuerunt, innocentes damnantur; ſi autem valuerunt, nec voluerunt, quid adhuc tam fabuloſè inducitis naturam mali, cum a propria voluntate ſit origo peccati; ſi ergo noluerunt, voluntatis crimen eſt, non neceſſitatis*;

Ergo ex S. Auguſtino ſi animæ malo reſiſtere non valuerunt, innocentes damnantur; ſi autem valuerunt, nec voluerunt, voluntatis crimen eſt, non neceſſitatis; hinc ſimiliter: Si animæ delectationi terrenæ reſiſtere non valent, innocentes damnantur; ſi autem valent, nec volunt, voluntatis crimen eſt, non neceſſitatis; ac proinde ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis malè agendi neceſſitas.

XIII. Lib 6. Oper. Imperf. num, 21. tom. 10. *Definitio verò*

iila

Digitized by Google

illa peccati, ubi intelligitur: voluntas appetens, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere, illius peccati definitio eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati, quod neſcio quoties tibi jam ad iſta reſponſum eſt. Qui enim dicit: Non quod volo bonum, facio; ſed quod nolo malum, hoc ago, non illi ab hoc malo liberum eſt abſtinere;

Ergo ex S. Auguſtino licet liberum non ſit homini abſtinere ab indeliberata delectatione terrena, quæ peccatum dicitur, tum quia eſt effectus originalis, tum quia eſt cauſa perſonalis peccati, liberum tamen homini eſt ſub delectatione terrena abſtinere à peccato deliberato; ſed ſub irreſiſtibili peccandi neceſſitate liberum homini non eſt abſtinere a peccato deliberato; quare ex S. Auguſtino delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis peccandi neceſſitas.

XIV. Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 18. num. 5. tom. 1. *Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo poteſt?... Peccatur autem? Caveri igitur poteſt;*

Ergo ex S. Auguſtino ab omni peccato purus atque integer homo eſt, ſi cuicumque cauſæ impellenti ad peccatum cedit atque conſentit, cui impotens ſit reſiſtere, nec potis ſit eam præcavere; adeoque ex S. Auguſtino nullum peccatum eſt ſub irreſiſtibili peccandi neceſſitate; ac proinde ex S. Doctore delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis peccandi neceſſitas.

XV. Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 1. num. 1. tom. 1. *Nulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura neceſſitaſque dominatur..... Si enim natura vel neceſſitate iſte motus exiſtit, culpabilis eſſe nullo pacto poteſt.... Animam enim, quæ iſto motu ab incommutabili Bono ad commutabilia detrahitur, nego eſſe culpandam, ſi ejus natura talis eſt, ut eo neceſſariò moveatur;*

Ergo ex S. Auguſtino ſub irreſiſtibili prædominante neceſſitate, nulla prorſus culpa deprehendi poteſt. Siquidem pravus animi motus, quo voluntas ab incommutabili Bono ad fluxa &

caduca bona convertitur, ſi ab irreſiſtibilis neceſſitatis impulſu determinatur, culpabilis eſſe nullo pacto poteſt, neque ex illo anima mota, jure aut merito ullo, culpanda eſt; ac proinde ex S. Doctore delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis peccandi neceſſitas.

XVI. Serm. 151. cap. 8. num. 8. to. 5. *Mente ſervio legi Dei, non conſentiendo; carne autem legi peccati, concupiſcendo.. Nunc ergo, Fratres, tenete iſtum modum: mente ſervite legi Dei, carne legi peccati; ſed ex neceſſitate, quia concupiſcitis, non quia conſentitis.*

XVII. In Pſal. 50. num. 3. to. 4. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Non dixit: Non ſit, ſed non regnet. Ineſt peccatum, cum delectaris; regnat, ſi conſenſeris. Carnalis delectatio præſertim uſque ad illicita, & aliena progrediens, frenanda eſt, non relaxanda: imperio domanda, non in imperio collocanda.*

XVIII. Lib. 1. de Serm. Dom. in Mon. cap. 12. num. 34. tom. 3. *Tria ſunt quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, & conſenſione.... Huic tamen non conſentimus, ſi eam dominantis rationis jure cohibemus... Tria ergo hæc ſimilia ſunt illi geſtæ rei, quæ in Geneſi ſcripta eſt, ut quaſi à ſerpente fiat ſuggeſtio & quædam ſuaſio, in appetitu autem carnali, tanquam in Eva, delectatio; in ratione verò, tanquam in viro, conſenſio;*

Ergo ex S. Auguſtino concupiſcentia carnis, ſeu delectatio terrena indeliberata, eſt ex neceſſitate originalis peccati, neque eſt in poteſtate hominis conſtituta. At vero conſenſus, ſub delectatione terrena indeliberata, non eſt ex neceſſitate, ſed ſub poteſtate noſtra conſtitutus eſt. Hinc ineſt homini poteſtas, & obligatio frenandi, atque imperio domandi delectationem terrenam, ne uſque ad illicita progediatur. Poſſumus enim, ſi volumus, dominantis rationis jure, terrenam delectationem cohibere, quæ ita libero dominantis rationis arbitrio ſubjecta eſt, quemadmodum Eva viro ſuo erat ſubjecta; ac proinde ex S. Doctore delectatio terrena non eſt nobis irreſiſtibilis peccandi neceſſitas.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino concupiſcentia carnis ſe renitentem, non quidem viribus omnibus, ſed molliter ac remiſsè, traxit vi quadam reſiſtibili, non autem prorſus irreſiſtibili. Si enim concupiſcentia carnis, vi quadam prorſus irreſiſtibili, renitentem hominem ad peccandum pertraheret, nullum haberet locum conſilium, & adhortatio, quæ ſunt electivæ libertatis index & argumentum, quas adhortationes ibi ſubiicit S. Doctor his verbis: *Modo te etſi oppugnat, non expugnet; poſtea cum abſorpta fuerit mors in victoriam, & pugnare ceſſabit.*

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino præterita voluntas fecit peccatum, quod ex prava conſuetudine roboratum, moraliter & âbſque multa difficultate vitari non poteſt: Dicit enim loco citato: *Si autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit; & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino, qui cogenti, hoc eſt, impellenti & urgenti malæ cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, extinguendo indeliberatos concupiſcentiæ motus, & ideo materialiter facit contra præcepta juſtitiæ, hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati. Peccatum enim nominat S. Doctor indeliberatos concupiſcentiæ motus, ut Lib. 6. Oper. Imperf. num. 21. tom. 10. his verbis: *Definitio verò illa peccati, ubi intelligitur, voluntas appetens quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere, illius peccati definitio eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati, quod neſcio quoties jam ad iſta tibi reſponſum eſt. Qui enim dicit: non quod volo bonum, facio; ſed quod nolo malum, hoc ago, non illi ab hoc malo liberum eſt abſtinere.*

Ad quartum dicendum, quod S. Auguſtino homo lapſus, amiſsâ ſcientia, & facilitate in rectè agendo, quibus donis homo integer fuerat ornatus, non habet amplius arbitrium ab ignorantia, & difficultate liberum in recte operando, quibus malis vexatus, dum approbat falſa prò veris, invitus errat ſub ignorantia invincibili, & ſub pœnali difficultate non poteſt phyſicè ab indeliberatis, neque moraliter abſque multa diffi-

Digitized by Google

cultate, accedente præcipuè mala conſuetudine, à deliberatis libidinoſis operibus temperare. Ceterum poteſt phyſicè ab his deliberatis operibus temperare, ſi velit. Dicit enim Lib. 11. de Geneſ. ad Lit. cap. 7. num. 9. tom. 3. *Sicut ratio vera docet meliorem eſſe naturam, quam prorſus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet, etiam illam bonam eſſe, quæ habet in poteſtate illicitam delectationem, ſi extiterit, ita cohibere, ut non ſolum de ceteris licitis recteque factis, verum etiam de ipſius pravæ delectationis cobibitione lætetur.*

Ad quintum dicendum, quod ex S. Auguſtino tum ex peccato originali, tum ex prava peccandi conſuetudine duplex neceſſitas oritur, altera phyſica erumpendi in actus pravos indeliberatos, moralis altera, ſecluſo conatu ſatis difficili, erumpendi in actus pravos deliberatos. At nulla phyſica exiſtit neceſſitas erumpendi in actus pravos deliberatos: docente Auguſtino Lib. 5. contra Julian. cap. 15. num. 56. to. 10. quod: *Quamvis aliam legem videamus in membris noſtris, repugnantem legi mentis noſtræ, neceſſitatem criminis non habet homo.*

Ad ſextum dicendum, quod ex Sancto Auguſtino poſteros Adæ, qui ſine ulla neceſſitate peccavit, ſubſecuta eſt phyſica indeliberati, & moralis deliberati peccati neceſſitas, non autem ſubſecuta eſt neceſſitas phyſica peccati deliberati. Siquidem ex S. Doctore. Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 1. num. 1. tom. 1. *Neque ulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura neceſſitaſque dominatur.*

Ad ſeptimum dicendum, quod ex S. Auguſtino peccata deliberata, quæ tantummodo peccata ſunt, committuntur non neceſſitate, ſed voluntate: peccata vero indeliberata, quæ ex Sancto Doctore non ſolum peccata, verum etiam pœnæ ſunt peccatorum, uti ſunt indeliberati motus concupiſcentiæ, de quibus ita Apoſtolus conquerebatur: *Non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio:* committuntur, ſeu potius tolerantur, ignorantiæ & concupiſcentiæ originalis neceſſitate. Etenim ex S. Auguſtino Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 1. num. 1. tom. 1. *Si natura vel neceſſitate iſte motus exiſtit, culpabilis eſſe nullo modo poteſt.*

Ad

Ad octavum dicendum, quod ex S. Auguſtino cupiditates noſtræ, quando validæ ſunt, & eis ſervimus, neceſſitates vocantur, morales videlicet propter maximam illis reſiſtendi difficultatem, ut explicat S. Doctor in Pſalm. 106. num. 5. tom. 4. ſic. *Invenit ſe ligatum difficultatibus cupiditatum, & non poſſe viam propter compedes ambulare: Incluſum ſe ſentit difficultate vitiorum, & tanquam muro impoſſibilitatis erecto, portiſque clauſis, quà evadat ut rectè vivat, non invenit... Secunda ergo tentatio eſt difficultatis in bene operando... Exclamat & in hac ad Dominum. Liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis. Incipit jam facile eſſe, quod difficilè fuerat.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Tunc ſe peccare dicunt, quando natura mali prævalet naturæ Dei: Hæc Manichæorum eſt immundiſſima inſania.* (b) *Etiam mihi videbatur non eſſe nos qui peccamus, ſed neſcio quam aliam in nos peccare naturam, & delectabat ſuperbiam meam extra culpam eſſe, & accuſare neſcio quid aliud, quod mecum eſſet, & ipſe non eſſem.* (c) *Cui ſi reſiſtere animæ non valuerunt, innocentes damnantur; ſi autem valuerunt, nec voluerunt, volantatis crimen eſt, non neceſſitatis.* (d) *Quæcumque igitur iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo pteſt? Peccatur autem? Caveri igitur poteſt.* (e) *Si enim natura vel neceſſitate iſte motus exiſtit, culpabilis eſſe nullo modo poteſt. Neque enim ulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura neceſſitaſque dominatur.* (f) *Sciendum etiam eſt, multos diſputare & dicere: Stellis ſubjectæ ſunt voluntates noſtræ: unuſquiſque non prò meritis agitur, ſed neceſſitate ſtellarum ſuarum. Doctrina mala, doctrina impia.* (g) *Nihil enim poſſunt impiorum blaſphemiæ, qui volentes excuſare facinora ſua, nolunt ſuæ culpæ tribuere quod peccant. Itaque aut fortunam, aut fatum inveniunt, quod accuſent, aut diabolum, cui non conſentire in pote-*

Digitized by Google

poteſtate noſtra eſſe voluit, qui nos fecit, aut aliam naturam inducunt, quæ non ſit ex Deo. (h) *Quando ergo quiſque cum reprehendi cœperit, cauſam convertit in fatum; & ideo ſe culpari non vult, quia fato ſe dicit coactum feciſſe id quod arguitur: non caſtiget ſervum furem, non de contumelioſo filio conqueratur, vicino improbo non minetur; quid enim horum faciens, juſte facit, ſi omnes à quibus injuriam patitur, non culpâ ſuâ, ſed fato impelluntur, ut faciant?* (i) *At delectat adulterium? Contradicatur, reſiſtatur, repugnetur. Non enim non habes unde repugnes.* (k) *Ratio enim quæ præſidet in mente, motus inferiores carnis, tanquam regens & dominans frenare debet, non immoderatè, & illicite paſſim vageque laxare. Homo autem ideo ſemper movere poteſt, quia & refrenare motum poteſt. Tibi dominationem rationis Creator dedit. Tenes tu, quod pecus non poteſt.* (l) *Habet caro ex conditione mortali quaſi quoſdam terrenos appetitus ſuos. In hos tibi jus freni conceſſum eſt. Regat te Præpoſitus, ut poſſit à te regi ſubjectus. Leges in inferiorem non habes, niſi à Superiore.* (m) *Natura enim noſtra habet in poteſtate illicitam delectationem, ſi extiterit, ita cohibere, ut non ſolum de ceteris licitis rectèque factis, verum etiam de ipſius pravæ delectationis cohibitione lætetur.* (n) *Quamvis ergo aliam legem videamus in membris noſtris, repugnantem legi mentis noſtræ, non ſolum tamen neceſſitatem criminis non habet homo, ſed habet potius honorem laudis, cujus ſpiritus, ſpiritali munere adjutus, adverſus carnis concupiſcentiam concupiſcit.* (o) *Non itaque ſicut dicunt nos quidam dicere, & iſte audet inſuper ſcribere: Omnes in peccatum, veluti inviti, carnis ſuæ neceſſitate trahuntur; ſed ſi jam in ea ætate ſunt, ut propriæ mentis utantur arbitrio, & in peccato ſua voluntate retinentur, & a peccato in peccatum ſua voluntate præcipitantur.* (p) *Definitio vero illa peccati, ubi intelligitur: Voluntas appetens, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere, illius peccati definitio eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pæna peccati. Qui enim dicit: Non quod volo bonum, facio; ſed quod nolo malum, hoc ago, non illi ab hoc malo liberum eſt abſtinere.* (q) *Qui iterum dicit:*

men-

Digitized by Google

mente ſervio legi Dei, non conſentiendo; carne autem legi peccati, concupiſcendo. Nunc ergo, fratres, tenete iſtum modum: mente ſervite legi Dei, carne legi peccati; ſed ex neceſſitate, quia concupiſcitis, non quia conſentitis. (r) *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore: non dixit: non ſit; ſed non regnet. Ineſt peccatum, cum delectaris; regnat, ſi conſenſeris: carnalis delectatio præſertim uſque ad illicita & aliena progrediens frenanda eſt, non relaxanda: imperio domanda, non in imperio collocanda.* (ſ) *Porro tria ſunt quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, conſenſione. Huic tamen non conſentimus, ſi eam dominantis rationis jure cohibemus; tria ergò hæc ſimilia ſunt illi geſtæ rei, quæ in Geneſi ſcripta eſt, ut quaſi a ſerpente fiat ſuggeſtio, & quædam ſuaſio; in appetitu autem carnali, tanquam in Eva, delectatio; in ratione vero, tanquam in viro, conſenſio.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. de Contin. cap. 5. num. 14. tom. 6. (*b*) Lib. 5. Conf. cap. 10. num. 19. tom. 1. (*c*) Lib. 22. contra Fauſt. Manich. cap. 22. tom. 8. (*d*) Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 18. num. 5. tom. 1. (*e*) Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 1. num. 1. tom. 1. (*f*) In Pſalm. 72. num. 22. tom. 4. (*g*) In Pſal. 7. num. 19. to. 4. (*h*) Ad Lampad. Epiſt. 246. num. 3. tom. 2. (*i*) Serm. 128. cap. 6. num. 8. tom. 5. (k) Serm. 8. cap. 5. num. 6. tom. 5. (*l*) Lib. de Utilit. Jejun. cap. 4. num. 5. to. 6. (*m*) Lib. 11. de Geneſi ad Lit. cap. 7. num. 9. to. 3. (*n*) Lib. 5. contra Julian. cap. 15. num. 56. to. 10. (*o*) Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3. num. 7. tom. 10. (*p*) Lib. 6. Oper. Imperf. num. 21. to. 10. (*q*) Serm. 151. cap. 8. num. 8. to. 5. (*r*) In Pſalm. 50. num. 3. to. 4. (*ſ*) Lib. 1. de Serm. Domini in Monte cap. 12. num. 34. to. 3.

Digitized by Google

QUÆSTIO VI.

De Gratia Prædeſtinante in quatuor articulos diviſa.

Quatuor præcipue errores contra divinam prædeſtinationem expendimus. Primus eorum eſt, qui docuerunt divinam præſcientiam, præcipuam prædeſtinationis partem, quæ liberos noſtros actus attingit, cum libertate eorumdem minimè cohærere. Alter eorum, qui opinati ſunt voluntatem divinam, quæ circa humanos actus verſatur, libertatem eorumdem dominativam evertere. Tertius eorum, qui affirmaverunt divinam prædeſtinationem ad Gratiam ex præviſis meritis naturalibus dependere. Quartus eorum eſt, qui hoc idem aſſeruerunt de divina prædeſtinatione ad Gloriam. Quare in quatuor articulos præſentem quæſtionem partimur. I. ſit Utrum ex S. Auguſtino divina præſcientia rerum a noſtra libertate pendentium ſit inevitabilis earumdem neceſſitas? II. Utrum ex S. Auguſtino divina voluntas rerum a libertate noſtra pendentium ſit inevitabilis earumdem neceſſitas? III. Utrum ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad Gratiam ſit ex præviſis meritis naturalibus? IV. Utrum ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad Gloriam ſit ex præviſis meritis naturalibus?

ARTICULUS I.

Utrum ex S. Auguſtino Divina Præſcientia rerum a noſtra libertate pendentium ſit inevitabilis earumdem neceſſitas?

Videtur, quod ex S. Auguſtino Divina Præſcientia rerum a libertate noſtra pendentium ſit inevitabilis earumdem neceſſitas, quod ex ſequentibus S. Doctoris ſententiis confici ſic videtur.

I. Lib. de Correp. & Grat. cap. 7. num. 14. to. 10. hæc habet de prædeſtinatis: *Horum, ſi quiſquam perit, falli-*

fallitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus; ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.

II. Lib. de Don. Perſev. cap. 17. num. 41. to. 10. hanc de prædeſtinatione notionem tradit. *In ſuâ, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quidquam eſt, niſi prædeſtinare.*

III. Lib. 18. de Civ. Dei cap. 51. num. 2. to. 7. *Quoniam cogitantur immutabilia divina promiſſa, & quod ait Apoſtolus: novit Dominus, qui ſunt ejus; quos enim præſcivit, & prædeſtinavit conformes imagini Filii ſui, ex eis perire nullus poteſt.*

IV. Serm. 2. in Pſal. 68. num. 13. to. 4. *Si homo dixit: Quod ſcripſi, ſcripſi, de titulo ubi ſcriptum erat: Rex Judæorum: Deus quemquam ſcribit, & delet? Præſcius eſt: Prædeſtinavit omnes ante conſtitutionem mundi regnaturos cum Filio ſuo in vita æterna, hos conſcripſit, ipſos continet liber vitæ.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Divina præſcientia rerum a noſtra libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas: hanc enim divinæ præſcientiæ ac libertatis humanæ concordiam ſubjectis rationibus ſic S. Doctor tuetur.

I. Lib. 5. de Civit. Dei cap. 10. num. 2. to. 7. hæc definit: *Nullo modo cogimur, aut retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas eſt, negare præſcium futurorum; ſed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur; illud, ut bene credamus; hoc, ut bene vivamus; male autem vivitur, ſi de Deo non bene creditur;*

Ergo ex S. Auguſtino concordia divinæ præſcientiæ de futuris liberis cum noſtræ voluntatis arbitrio eſt dogma certum ad fidem pertinens; ac proinde ex S. Auguſtino divina præſcientia rerum a noſtra libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas.

II. Loco ſupra allegato adjungit: *Neque enim ideo peccat homo,*

mo, quia Deus illum peccaturum eſſe præſcivit: imo ideo non dubitatur ipſum peccare cum peccat, quia ille cujus præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſcivit; quod ſi nolit, utique non peccat, ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit;

Ergo ex S. Auguſtino divina præſcientia de peccato futuro hominis non eſt cauſa determinativa, ex qua homo peccat; ſed potius peccatum futurum hominis eſt cauſa objectiva, ex qua Deus peccaturum hominem præſcit, qui ſi peccare noluerit, etiam hoc Deus præſcit; ſed ſi divina præſcientia rerum a noſtra libertate pendentium eſſet inevitabilis earumdem neceſſitas, non peccatum futurum hominis eſſet cauſa objectiva, ex quà Deus hominem peccaturum præſcit, ſed potius divina præſcientia de peccato futuro hominis eſſet cauſa determinativa, ex qua homo peccat; quare ex S. Auguſtino divina præſcientia rerum a noſtra libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas.

III. Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 3. num. 6. tom. 1. *Certè enim hoc te movet, & hoc miraris, quomodo non ſint contraria & repugnantia, ut & Deus præſcius ſit omnium futurorum, & nos non neceſſitate, ſed voluntate peccemus;*

Ergo ex S. Auguſtino divina præſcientia de peccatis noſtris futuris optimè cum eo conciliatur, quod nos peccemus voluntate libera ab omni inevitabili neceſſitate; ac proinde ex Sancto Auguſtino divina præſcientia rerum a noſtra libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas.

IV. Eodem lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 4. num. 11. tom. 1. *Cur ergo non vindicet juſtus, quæ fieri non cogit præſcius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt; ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt;*

Ergo ex S. Auguſtino ſicuti memoria noſtra præteritarum rerum a libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas; ita præſcientia divina futurarum rerum à libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas; aliter ex San-

Sancto Doctore Deus non eſſet juſtus ſcelerum vindex; quod fieri omnino non poteſt.

V. Lib. de Dono Perſev. cap. 22. num. 57. tom. 10. *Redargui videtur præſcientia Dei, quam certè negare non poſſunt, ſi dicatur hominibus: ſive curratis, ſive dormiatis, quod vos præſcivit, qui falli non poteſt, hoc eritis; ſed dicendum eſt: ſic currite, ut comprehendatis; atque ut ipſo curſu veſtro, ità vos eſſe præcognitos noveritis, ut legitimè curreretis: & ſi quo alio modo Dei præſcientia prædicari poteſt, ut hominis ſegnitia repellatur;*

Sed ſi divina præſcientia rerum à noſtra libertate pendentium eſt inevitabilis earumdem neceſſitas, nulla eſt adhortatio ad benè agendum, nec hominis ſegnitia ad rectè agendum repellitur, ſed fovetur; adeoque ex S. Auguſtino divina præſcientia rerum a noſtra libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas.

VI. Eodem Lib. de Dono Perſev. cap. 17. num. 42. tom. 10. ita congreditur cum Semipelagianis. *Sicut ergo ipſi quoque hortantur ad caſtitatem, caritatem, pietatem, & cetera, quæ dona Dei eſſe confitentur, eaque eſſe ab illo præcognita, ac per hoc prædeſtinata negare non poſſunt, nec dicunt exhortationes ſuas impediri prædicatione prædeſtinationis Dei, hoc eſt, prædicatione de his donis ejus futuris præſcientiæ Dei; ſic videant nec ad fidem, nec ad perſeverantiam impediri exhortationes ſuas, ſi & ipſa, quod verum eſt, eſſe Dei dona, eaque præcognita, ideſt, ad donandum prædeſtinata eſſe dicantur;*

Sed ſi divina præſcientia ſit inevitabilis rerum neceſſitas à libertate noſtra pendentium, divinæ præſcientiæ prædicatione impediuntur exhortationes noſtræ ad fidem, perſeverantiam, caſtitatem, caritatem, pietatem, ceteraſque virtutes excolendas; quamobrem ex S. Auguſtino divina præſcientia non eſt inevitabilis rerum neceſſitas a libertate noſtra pendentium.

VII. Tract. 53. in Joan. num. 4. tom. 3. *Dominum præſcium futurorum per Prophetam prædixiſſe peccatum Judæorum: prædixiſſe tamen, non feciſſe; non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam*

 novit;

Digitized by Google

novit; ipſorum enim præſcivit peccata, non ſua, non cujuſquam alterius, ſed ipſorum; quapropter ſi ea quæ ille præſcivit ipſorum, non ſunt ipſorum, non verè ille præſcivit; ſed quia illius præſcientia falli non poteſt, ſine dubio non alius, ſed ipſi peccant, quos Deus peccaturos eſſe præſcivit. Fecerunt ergò peccatum Judæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, ſed facturos eſſe prædixit, quem nihil latet; & ideo ſi non malum, ſed bonum facere voluiſſent, non prohiberentur, & hoc facturi præviderentur ab eo, qui novit quid ſit quiſque facturus, & quid ei ſit pro ejus opere redditurus;

Sed ſi divina præſcientia rerum ab humana libertate pendentium eſſet inevitabilis earumdem neceſſitas, Deus prænoſcendo futura peccata hominum, eos ad peccandum compelleret. Item: prævifa peccata hominum non eſſent imputabiliter peccata ipſorum: & homines prævifi facturi malum nulla ratione facere bonum poſſent, nec facturi bonum a Deo prævideri poſſent. Hæc autem abſona ſunt, & abſurda; adeoque ex S. Auguſtino divina præſcientia rerum ab humana libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas.

VIII. Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 4. num. 10. tom. 1. ſic cum ſuo diſputans Evodio concludit. *Ni fallor non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum eſſe præſcires, neque ipſa præſcientia tua peccare eum cogeret, quamvis ſine dubio peccaturus eſſet; non enim aliter id facturum eſſe præſcires.... Ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt;*

Ergo ex S. Auguſtino certa & evidens præſcientia Dei de rebus futuris non aliam ſecum affert neceſſitatem, quam certa & evidens de rebus iiſdem præſcientia hominis; ſed certa & evidens præſcientia hominis de peccato futuro non eſt inevitabilis peccandi neceſſitas; hinc ex S. Auguſtino certa & evidens præſcientia Dei de peccato futuro non eſt inevitabilis peccandi neceſſitas; ac proindè ex S. Doctore divina præſcientia rerum ab humana libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas.

Ad

Digitized by Google

Ad primum ergo dicendum, quod ex certitudine præſcientiæ Dei, qui falli omnino non poteſt, deducit optimè S. Doctor ſalutis certitudinem in prædeſtinatis omnibus, non autem inevitabilem ejuſdem ſalutis neceſsitatem; nam ex Sancto Doctore Lib. 5. de Civit. Dei num. 2. tom. 7. *Nullo modo cogimur, retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium.*

Ad ſecundum eadem eſt reſponſio. Siquidem aſſerit Sanctus Doctor Lib. de Dono Perſever. cap. 17. num. 42. tom. 10. *Exhortationes noſtras non impediri prædicatione prædeſtinationis Dei, hoc eſt, prædicatione de his donis ejus futuris præſcientiæ Dei.* Hæ autem exhortationes utique impedirentur, ſi divina præſcientia noſtrorum operum ſalutarium eſſet inevitabilis eorumdem neceſsitas.

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino nullus ex prædeſtinatis perire poteſt, ſtante Divina præſcientia de fide, ſpe, caritate, & finali perſeverantia hominis prædeſtinati; at fieri poteſt, ut loco præſcientiæ de bonis operibus, ex mala hominis voluntate, præſcientia anteceſſerit de malis ejuſdem operibus; ſicuti fieri poteſt, ut loco præſcientiæ de malis operibus, ex bona hominis voluntate, præſcientia antecedat de bonis ejuſdem operibus. Siquidem, ut diſſerit S. Doctor Lib. 5. de Civ. Dei cap. 10. num. 2. tom. 7. *Ideo non dubitatur hominem peccare, cum peccat; quia ille, cujus præſcientia falli non poteſt, ipſum peccaturum eſſe præſcivit. Quod ſi nolit, utique non peccat; ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.*

Ad quartum dicendum, quod juxta S. Doctorem ex infallibili certitudine, non autem ex inevitabili neceſsitate divinæ præſcientiæ, nullus eſt ambigendi locus, ne aliquis prædeſtinatus deleatur de libro vitæ. Quandoquidem ex Lib. 20. de Civ. Dei cap. 15 tom. 7. *Ipſa ejus præſcientia de illis, quæ falli non poteſt, liber eſt vitæ, in quo ſcripti ſunt, ideſt, ante præcogniti.*

CON-

Digitized by Google

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Nullo modo cogimur, aut retenta præſcientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas eſt, negare præſcium futurorum; ſed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur.* (b) *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum eſſe præſcivit, quod ſi nolit, utique non peccat; ſed ſi peccare noluerit, etiam hoc ille præſcivit.* (c) *Certe enim hoc te movet, & hoc miraris, quomodo non ſint contraria & repugnantia, ut Deus præſcius ſit omnium futurorum, & nos non neceſſitate, ſed voluntate peccemus.* (d) *Sed nî fallor non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum eſſe præſcires, neque ipſa præſcientia tua peccare eum cogeret, quamvis ſine dubio peccaturus eſſet; non enim aliter id facturum eſſe præſcires; ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt.* (e) *Cur ergo non vindicet juſtus, quæ fieri non cogit præſcius? Sicut enim tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt; ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt.* (f) *Non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit. Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet; ſed facturos eſſe prædixit, quem nihil latet: & ideo ſi non malum; ſed bonum facere voluiſſent, non prohiberentur, & hoc facturi præviderentur ab eo, qui novit quid ſit quiſque facturus, & quid ei ſit pro ejus opere redditurus.* (g) *Sic prædicanda eſt præſcientia Dei; aliter redargui potius videtur, ut ſi dicatur hominibus, ſive curratis, ſive dormiatis, quod vos præſcivit, qui falli non poteſt, hoc eritis; ſed dicendum eſt: ſic currite, ut comprehendatis, atque ut ipſo curſu veſtro ità vos eſſe præcognitos noveritis, ut legitimè curreretis; & ſi quo alio modo Dei præſcientia prædicari poteſt, ut hominis ſegnitia repellatur.* (h) *Sicut ergo ipſi quoque Semipelagiani hortantur ad caſtitatem, caritatem, pietatem, & cetera,*

quæ

Digitized by Google

quæ dona Dei eſſe confitentur, eaque eſſe ab illo præcognita negare non poſſunt, nec dicunt exhortationes ſuas impediri prædicatione de his donis ejus futuris præſcientiæ Dei: Sic videant nec ad fidem, nec ad perſeverantiam impediri exhortationes ſuas, ſi & ipſa eſſe Dei dona, eaque præcognita eſſe dicantur. Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. 5. de Civit. Dei cap. 10. num. 2. tom. 7. (*b*) Ibidem paulò infra (*c*) Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 3. num 6. tom. 1. (*d*) Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 4. num. 10. tom. 1. (*e*) Lib. 3. de Libr. Arbitr. cap. 4. num. 11. tom. 1. (*f*) Tractat. 53. in Joan. num. 4. tom 3. (*g*) Lib. de Don. Perſever. cap. 22. num. 57. tom. 10. (*h*) Lib. de Don. Perſever. cap. 17. num. 42. tom. 10.

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Auguſtino Divina voluntas rerum à noſtra libertate pendentium ſit inevitabilis earumdem neceſſitas?

Videtur, quod ex S. Auguſtino divina voluntas rerum à noſtra libertate pendentium ſit inevitabilis earumdem neceſſitas. Hæc enim habet.

I. TRact. 3. in Joan. num. 1. tom. 3. *Omnibus prorſus ovibus ſuis bonus Paſtor, omnibus membris ſuis magnum Caput promiſit hoc præmium, ut ubi ipſe eſt, & nos cum illo ſimus; nec poterit niſi fieri, quod Omnipotenti Patri ſe velle dixit Omnipotens Filius.*

II. In Enchir. cap. 103. num. 47. tom. 6. hæc docet. *Nullum hominem ſalvum fieri, niſi quem ſalvum fieri ipſe voluerit, non quod nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum fieri velit, ſed quod nullus fiat, niſi quem velit; & ideo ſit rogandus, ut velit; quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit .... Quia Omnipotens velle inaniter non poteſt, quodcunque voluerit.*

III. Lib. 6. de Gen. ad Lit. cap. 15. num. 26. tom. 3. hæc ſtatuit

ſtatuit. *Conditoris voluntas, rerum neceſſitas eſt.*

IV. Epiſt. 80. ad Paulin. num. 2. tom. 2. *Quonam modo voluntatem Dei, quæ noſtræ voluntati præponenda eſt, noverimus? Utrum tantum in ea re, quam propterea volentes perferre debemus, quia & inviti cogeremur? Ibi enim fit quidem, quod nolumus; ſed ideo nos corrigimus, ut velimus, quia ille vult, cujus nec excellentiam fas eſt recuſare, nec Omnipotentiam licet evitare.*

V. In Enchir. cap. 96. num. 24. tom. 6. inquit: *Neque enim ob aliud veraciter vocatur Omnipotens, niſi quoniam quidquid vult, poteſt; nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.*

VI. Lib. de Correp. & Grat. cap. 14. num. 5. tom. 10. *Non eſt itaque dubitandum voluntati Dei, quæ in Cœlo & in Terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult; quandoquidem de ipſis etiam hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Divina voluntas rerum à noſtra libertate pendentium non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas; ſic enim S. Doctor & voluntatem Dei, & libertatem hominis mutuo fœdere copulat.

I. Lib. de Dono Perſev. cap. 14. num. 35. tom. 10. ità definit: *Hæc eſt prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud: Præſcientia, ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.*

II. Eodem Lib. de Don. Perſev. cap. 17. num. 41. tom. 10. *Iſta igitur ſua dona, quibuſcumque Deus donat, proculdubio ſe donaturum eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit. Quos ergo prædeſtinavit, ipſos & vocavit, vocatione illa, quam ſæpe commemorare non piget, de qua dictum eſt: ſine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei. Namque in ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura*

Digitized by Google

tura diſponere, id omninò, nec aliud quidquam, eſt prædeſtinare.

III. In Pſalm. 150. num. 3. tom. 4. *Secundum propoſitum occultiſſimæ juſtitiæ, bonitatiſque ſuæ* Deus, *quos prædeſtinavit, illos & vocavit, & quos vocavit, ipſos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, ipſos & glorificavit. Prædeſtinatio noſtra non in nobis facta eſt, ſed in occulto apud ipſum, in ejus præſcientia. Tria verò reliqua in nobis fiunt, vocatio, juſtificatio, glorificatio.*

IV. Lib. de Prædeſt. SS. cap. 10. num. 19. tom. 10. *Prædeſtinatio ſinè præſcientia non poteſt eſſe; poteſt autem eſſe ſinè prædeſtinatione præſcientia: prædeſtinatione quippe* Deus *ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus: Undè dictum eſt: Fecit quæ futura ſunt; præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata. Quocirca prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, ut dixi, præparatio; gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus.*

V. Lib. de Dono Perſev. cap. 17. num. 43. tom. 10. *Hæc, inquam, Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à* Deo; *præſciuntur autem; hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus.*

VI. Eodem Lib. de Dono Perſever. cap. 17. num. 43. tom. 10. eadem ſic repetit: *Cum dixerimus, atque oſtenderimus, & initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam Dei dona eſſe; nec ulla ſua futura dona, & quæ danda eſſent, & quibus danda eſſent, Deum non præſcire potuiſſe; ac per hoc prædeſtinatos ab illo eſſe, quos liberat, & coronat.*

VII. Eodem Lib. de Dono Perſever. cap. 17. num. 42. tom. 10. ita Semipelagianos adoritur. *Sicut ergo ipſi quoque hortantur ad caſtitatem, caritatem, pietatem, & cetera, quæ Dei dona eſſe confitentur, eaque ab illo eſſe præcognita, ac per hoc prædeſtinata negare non poſſunt; nec dicunt exhortationes ſuas impediri prædicatione prædeſtinationis Dei, hoc eſt, prædicatione de his donis ejus futuris præſcientiæ Dei, ſic videant, nec ad fidem, nec ad perſeverantiam impediri exhortationes ſuas, ſi & ipſa, quod verum eſt, eſſe Dei dona, eaque præcogni-*

Digitized by Google

cognita, *ideſt*, *ad donandum prædeſtinata eſſe dicantur*.

VIII. Eodem Lib. de Dono Perſever. cap. 20. num. 55. tom. 10. libros ſuos Confeſſionum allegans, hæc ita perſequitur. *Omnia itaque Dei dona*, *quæ in eodem opere*, *ſive optavi*, *ſive laudavi*, *quis non dicam negare*, *ſed dubitare ſaltem audeat*, *Deum daturum ſe eſſe præſciviſſe*, *& quibus daturus fuerit*, *nunquam potuiſſe neſcire? Hæc eſt prædeſtinatio manifeſta*, *& certa ſanctorum*, *quam poſtea diligentius*, *& operoſius*, *cum jam contra Pelagianos diſputaremus*, *defendere neceſſitas compulit*.

IX. Lib. de Spir. & Lit. cap. 5. num. 7. tom. 10., inquit. *Quos præſcivit ut prædeſtinaret*, *prædeſtinavit ut vocaret*, *vocavit ut juſtificaret*, *juſtificavit ut glorificaret*.

X. Tract. 45. in Joan. num. 13. tom. 3. hæc decernit. *Si prædeſtinatus eſt*, *ad tempus erravit*, *in æternum non periit*, *redit ut audiat quod neglexit*, *faciat quod audivit*. *Si enim de his eſt*, *qui prædeſtinati ſunt*, *& errorem ipſius Deus præſcivit*, *& converſionem futuram*.

Jam vero: Ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio, præter divinam præſcientiam, includit etiam Dei voluntatem, quod nomina ipſa *prædeſtinationis*, *præparationis*, *diſpoſitionis æternæ*, in futura largitione gratuita ſuorum beneficiorum, ſatis luculenter demonſtrant. Hæc autem Dei beneficia ex Sancto Doctore ſunt fides, ſpes, caritas, pietas, caſtitas, pænitentia, ceterarumque ſalutares virtutum actus, quibus ad vitam pervenitur æternam, quæque argumenta ſunt noſtrarum ad populum exhortationum, quibus incitamus Auditores ad virtutes has excolendas. Cum autem Pelagiani contenderent actus hujuſmodi ſalutares non eſſe Dei beneficia, ſed merita dumtaxat humana, utpotè per illos independentia à neceſſitate prævenientis gratiæ, atque intuitu meritorum hujuſmodi naturalium, & ad gratiam, & ad gloriam Deum prædeſtinare affirmarent; hinc factum eſt, ut a S. Auguſtino opera hujuſmodi dicantur, ut revera ſunt, dona & beneficia Dei; ac proindè ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio includit Divinam voluntatem rerum, & a divina gratia, & a noſtra libertate pendentium.

Digitized by Google

tium. Rurſus: Cum hæc divina voluntas conſequatur divinam præſcientiam rerum earumdem ab humana libertate pendentium, & hæc divina præſcientia non ſit inevitabilis earumdem neceſſitas, ut ſuperiori articulo ex S. Auguſtino fuit demonſtratum; conficitur, quod ex S. Doctore divina voluntas rerum à noſtra libertate pendentium, utpotè regulata per ſcientiam evitabilem, non eſt inevitabilis earumdem neceſſitas.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino conſortium regni pro ovibus, & membris ſuis, quod Omnipotenti Patri, ſe velle dixit Omnipotens Filius, non poteſt niſi fieri, ſeu neceſſe eſt fieri, neceſſitate conſequenti, orta ex præſcientia infallibili operum ſalutarium, & perſeverantiæ uſque in finem ſuarum ovium. Noſtra autem opera ſalutaria dona & opera Dei ſunt, ut teſtatur his verbis Lib. de Don. Perſever. cap. 17. num. 41. tom. 10. *In ſuâ, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omninò, nec aliud quidquam, eſt prædeſtinare.*

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino ſicuti Omniſcius falsò ſcire; ſic Omnipotens inaniter velle non poteſt; adeoque quem efficaciter ſalvum fieri voluerit, ſalvum fieri neceſſe erit, non quidem antecedenti, ſed conſequenti dumtaxat neceſſitate, propter infallibilem ſuam præſcientiam. Hæc enim habet de ſalvandis prædeſtinatis Lib. de Correp. & Grat. cap. 7. num. 14. tom. 10. *Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus, ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino Conditoris voluntas eſt quidem rerum neceſſitas, ſed rebus ipſis proportionata; ac proinde eſt neceſſitas merè conſequens rerum à libertate creata pendentium; neceſſitas autem antecedens rerum eſt a libertate creata independentium, qualis fuit primi hominis productio, de qua ibi loquitur S. Doctor: Hæc enim habet loco citato. *Manifeſtum eſt etiam ſic non factum eſſe hominem, contra quam erat in illa prima conditione cauſarum, quia ibi erat etiam ſic fieri poſſe, quamvis non ibi erat ita fieri neceſſe eſſe. Hoc enim non erat in conditione creaturæ, ſed in*

Digitized by Google

placito Creatoris, cujus voluntas rerum neceſſitas eſt.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino volentis Dei aliquid efficaciter nec excellentiam fas eſt recuſare, per independentiam; nec omnipotentiam licet evitare, per reſiſtentiam. Ceterum ibi loquitur S. Doctor de mortis, aliarumque calamitatum neceſſitate, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, & ex Dei voluntate nobis contingunt; ſic enim ibi proſequitur S. Doctor: *Sicut Petrum alter cinxit, & tulit quò noluerat; verumtamen quò nollet iit, & volens mortem ſubegit aſperam.*

Ad quintum dicendum, quod ex S. Auguſtino nullius creaturæ voluntate, impeditur effectus ultimus voluntatis omnipotentis, ordinantis voluntatem inobedientem, vel ad oſtenſionem miſericordiæ ſuæ, ſi reſipuerit; vel ad ſignificationem juſtitiæ ſuæ, ſi obduruerit. Siquidem ex eodem Lib. Enchir. cap. 100. num. 26. tom. 6. dicitur: *Per eamdem creaturæ voluntatem, qua factum eſt, quod Creator noluit, implevit ipſe, quod voluit; benè utens & malis, tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos juſtè prædeſtinavit ad pœnam; & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinavit ad gratiam.*

Ad ſextum dicendum, quod ex S. Auguſtino ſicuti humana voluntas divinam præſcientiam falſificare non poteſt, quod eſſet contra rationem Divinæ Sapientiæ; ita humana voluntas reſiſtere non poteſt divinæ voluntati efficaci, quod eſſet contra rationem Divinæ Omnipotentiæ. Præterea: De ipſis hominum voluntatibus, quod vult Deus facit; non illas quidem irreſiſtibiliter neceſſitando, ſed movendo moraliter ſub præſcientia infallibili ſecuturi eventûs. Teſtatur enim S. Doctor Lib. de Spir. & Lit. cap. 34. num. 60. tom. 10 quod: *Non ideo tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, ut velimus, & ut credamus; ſive extrinſecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, ut ad gratiam juſtificantem credendo confugiat; ſivè intrinſecùs, ubi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem; ſed conſentire, vel diſſentire pro-*

prio

Digitized by Google

pria voluntatis eſt. His ergò modis, quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere poteſt quodlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat, profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos. Conſentire autem vocationi, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. Et Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 13. tom. 6. *Nullius Deus fruſtra miſeretur; cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat*.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Hæc eſt prædeſtinatio ſanctorum, nihil aliud: Præſcientia, ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur*. (b) *Namque in ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quidquam, eſt prædeſtinare*. (c) *Prædeſtinatio igitur noſtra non in nobis facta eſt, ſed in occulto apud ipſum in ejus præſcientia*. (d) *Siquidem prædeſtinatio ſine præſcientia non poteſt eſſe; poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia; prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus*. (e) *Hæc ſunt Dei dona, quæ ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo; præſciuntur autem; hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam defendimus*. (f) *Diximus enim atque oſtendimus, & initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam Dei dona eſſe, nec ulla ſua futura dona, & quæ danda eſſent, & quibus danda eſſent, Deum non præſcire potuiſſe; ac per hoc prædeſtinatos ab illo eſſe, quos liberat, & coronat*. (g) *Sicut ergò ipſi quoque Semipelagiani hortantur ad caſtitatem, caritatem, pietatem, & cetera, quæ Dei dona eſſe confitentur, eaque ab illo eſſe præcognita, ac per hoc prædeſtinata negare non poſſunt; nec dicunt exhortationes ſuas impediri prædicatione prædeſtinationis Dei, hoc eſt, prædicatione de his donis ejus futuris præſcientiæ Dei; ſic videant nec ad fidem, nec ad perſeverantiam impediri exhortationes ſuas, ſi & ipſa,*

quod

Digitized by Google

quod verum eſt, eſſe Dei dona, eaque præcognita, ideſt, ad donandum prædeſtinata eſſe dicantur. (h) *Omnia itaque hæc Dei dona, quis non dicam negare, ſed dubitare ſaltem audeat Deum daturum ſe eſſe præſciviſſe, & quibus daturus fuerit nunquam potuiſſe neſcire? Hæc eſt prædeſtinatio manifeſta, & certa ſanctorum*, (i) *quos præſcivit ut prædeſtinaret, prædeſtinavit ut vocaret, vocavit ut juſtificaret, juſtificavit ut glorificaret*. (k) *Hinc ſi quis prædeſtinatus eſt, ad tempus erravit, in æternum non periit. Si enim de his eſt, qui prædeſtinati ſunt, & errorem ipſius Deus præſcivit, & converſionem futuram*. Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. de Dono Perſev. cap. 14. num. 35. tom. 10. (*b*) Lib. de Don. Perſev. cap. 17. num. 41. tom. 10. (*c*) In Pſal. 150. num. 3. tom. 4. (*d*) Lib. de Præd. SS. cap. 10. num. 19. tom. 10. (*e*) Lib. de Dono Perſev. cap. 17. num. 43. tom. 10. (*f*) Lib. de Dono Perſev. cap. 17. num. 43. tom. 10. (*g*) Lib. de Dono Perſev. cap. 17. num. 42. tom. 10. (*h*) Lib. de Dono Perſev. cap. 20. num. 53. tom. 10. (*i*) Lib. de Spir. & Litt. cap. 5. num. 7. tom. 10. (*k*) Tractat. 45. in Joann. num. 13. tom. 3.

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Auguſtino Divina Prædeſtinatio ad Gratiam ſit ex prævisis meritis naturalibus?

Videtur, quod ex S. Auguſtino Divina Prædeſtinatio ad Gratiam ſit ex prævisis meritis naturalibus; Quandoquidem

I. IN Expoſit. quarumdam Propoſit. ex Epiſt. ad Roman. Propoſ. 60. tom. 3. dicit: *Non ergo elegit Deus opera cujuſquam in præſcientia, quæ ipſe daturus eſt; ſed fidem elegit in præſcientia, ut quem ſibi crediturum eſſe præſcivit, ipſum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando, etiam vitam æternam conſequeretur*.

II. Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 6. tom. 6. *Nemo eligitur,*

tur, niſi jam diſtans ab illo, qui rejicitur; *unde quod dictum eſt: quia elegit nos ante mundi conſtitutionem, non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientiâ.*

III. Serm. 100. cap. 2. num. 3. tom. 5. ait: *Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præſumentes, non de ſe, nec de Baal: non ſunt mutati, ſic ſunt ut à me facti ſunt. Et tu qui loqueris, niſi de me præſumeres, ubi eſſes?*

IV. Eodem ſerm. 100. cap. 2. num. 3. tom. 5. hæc paulò ſuperius aſſerit. *Quos voluit Dominus, hos elegit: elegit autem, ſicut inquit Apoſtolus, & ſecundum ſuam gratiam, & ſecundum illorum juſtitiam.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Divina prædeſtinatio ad Gratiam non eſt ex prævisis meritis naturalibus; hæc eſt enim Pelagianorum, ac Semipelagianorum prædeſtinatio, pugnaciſſimè ab eis propugnata, & invictiſsimè a S. Auguſtino expugnata, ut ex ſubjectis conſtat ſententiis.

I. Lib. de Prædeſt. SS. cap. 18. num. 36. tom. 10. hæc refert verba Pelagianorum. *Præſciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri eſſent ſancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua præſcientia, qua tales futuros eſſe præſcivit, elegit: elegit ergo, inquit, antequam eſſent prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos immaculatoſque præſcivit, utique ipſe non fecit, nec ſe facturum, ſed illos futuros prævidit.*

II. Tract. 86. in Jo. num. 2. tom. 3. hæc habet de Pelagianis. *Hìc certè vacat vana illorum ratiocinatio, qui præſcientiam Dei defendunt contra gratiam Dei; & ideo dicunt nos electos ante mundi conſtitutionem, quia præſcivit nos futuros bonos, non ſeipſum nos facturum bonos.*

III. Lib. de Prædeſt. SS. cap. 19. num. 38. tom. 10. eumdem iterum Pelagianorum errorem in medium producit ſic: *Ipſi enim putant acceptis præceptis, jam per nos ipſos fieri, liberæ voluntatis arbitrio, ſanctos & immaculatos in conſpectu ejus, in ca-*

Digitized by Google

in caritate: quod futurum Deus quoniam præſcivit, inquiunt, ideo nos antè mundi conſtitutionem elegit, & prædeſtinavit in Chriſto.

IV. Eodem Lib. de Prædeſt. SS. cap. 19. nnm. 38. tom. 10. Maſsilienſium hæreſim Semipelagianorum, expreſsis illorum verbis, allegat ſic. *Nos autem dicimus, inquiunt, noſtram Deum non præſciſſe niſi fidem, quâ credere incipimus; & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem ac prædeſtinaſſe, ut etiam ſancti, & immaculati gratia, atque opere ejus eſſemus;*

Ergo ex S. Auguſtino impium Pelagianorum dogma fuit, Deum prædeſtinare homines ad filiationem ſui adoptivam, & ad Chriſti Domini hereditatem, ex prævifis futuris meritis naturalibus ſanctitatis, & innocentiæ, ſibimet comparandis libero dumtaxat voluntatis arbitrio, viribus ſolius naturæ, & humanâ tantum induſtriâ, non autem beneficio, munere, & dono divinæ gratiæ. At vero Semipelagiani Pelagianorum reliquiæ, teſte Auguſtino, in eo receſſerunt a Pelagianis, quod negarent Deum prædeſtinare ad gratiam, ex prævifis futuris meritis naturalibus ſanctitatis, innocentiæ, & operum ſalutarium, quæ dona, & munera Dei eſſe, ex gratuitâ gratiâ proficiſcentia, ultrò profitebantur, contendentes prædeſtinare Deum ad gratiam, filiationem, & amicitiam ſuam, ex ſolis futuris meritis naturalibus fidei, & piæ voluntatis credendi, quam munus eſſe gratuitum divinæ gratiæ pertinaciſſimè negabant; ac proinde ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad Gratiam non eſt ex prævifis meritis naturalibus.

V. Eodem Lib. de Prædeſt. SS. cap. 18. num. 37. tom. 10. ſic Pelagianos confutat. *Elegit nos Deus in Chriſto, ante mundi conſtitutionem, prædeſtinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos ſancti, & immaculati futuri eramus, ſed elegit, prædeſtinavitque, ut eſſemus.*

Ergo ex S. Auguſtino Deus prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum, non quia per nos, & ſolis naturæ viribus, ſancti & immaculati futuri eramus, quod Pelagiani affirmabant, ſed ut munere divinæ gratiæ, ſancti & immaculati eſſemus; ac proinde ex Sancto Doctore divina prædeſtinatio ad

Digitized by Google

ad Gratiam non eſt ex prævifis meritis naturalibus.

VI. Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 7. num. 15. to. 10. ſic Pelagianos redarguit. *Profecto deſipitis, qui dicente veritate: non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: vos dicitis: Ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Jacob fuiſſe dilectum... Præcedit namque non debita, ſed gratuita gratia, ut per illam fiant opera bona, ne ſi præceſſerint bona opera, tanquam operibus reddatur gratia; ac ſic gratia, jam non ſit gratia;*

Ergo ex S. Auguſtino æterna electio atque prædeſtinatio Jacob, præ fratre ſuo Eſau, ad gratiam gratum facientem, non fuit ex prævifis ejuſdem futuris operibus naturalibus, præcedentibus gratiam, omnium bonorum operum effectricem, quibus operibus gratia, tanquam merces debita, redderetur: quandoquidem opera bona non præcedunt debitam gratiam, ſed conſequuntur indebitam; ac proinde ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad Gratiam non eſt ex prævifis meritis naturalibus.

VII. Lib. de Correp. & Grat. cap. 7. num. 13. tom. 10. hæc habet de prædeſtinatis: *Elegit eos in Filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ,... non præcedentium meritorum ſuorum, quia gratia illis eſt omne meritum;*

Ergo ex S. Auguſtino æterna prædeſtinatorum electio non eſt ex illorum meritis naturalibus præcedentibus gratiam, cum gratia ſit primum principium, prima radix, fons & origo prima, ex qua omne bonum meritum emanat, erumpit, profluit, ac proficiſcitur; ac proinde ex S. Doctore divina prædeſtinatio ad Gratiam non eſt ex prævifis meritis naturalibus.

VIII. Lib. de Dono Perſev. cap. 24. num. 67. tom. 10. hæc affirmat de Chriſti Domini, & electorum ejus prædeſtinatione: *Et illum ergo, & nos prædeſtinavit; quia & in illo, ut eſſet Caput noſtrum, & in nobis, ut ejus corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra, ſed opera ſua futura præſcivit;*

Ergo ex S. Auguſtino Deus non prædeſtinavit Chriſtum Dominum ad Gratiam futuri Capitis noſtri, ex prævifis meritis naturalibus Chriſti Domini, quæ merita præceſſura eſſent gratiam Capitis reſpectu Chriſti, itaut merita Chriſti non eſſent futura dona & opera Dei. Similiter ex S. Doctore Deus

non prædeſtinavit nos ad Gratiam futurorum membrorum Chriſti, ex prævifis noſtris meritis naturalibus, quæ merita præceſſura eſſent gratiam membrorum Chriſti reſpectu noſtri, itaut noſtra merita non eſſent futura dona & opera Dei; ac proindè ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad Gratiam non eſt ex prævifis meritis naturalibus.

Ad primum ergo dicendum, quod S. Auguſtinus, dum adhuc Presbyter eſſet, explicans Carthagine propoſitiones quaſdam ex epiſtola ad Romanos excerptas, docuit electionem ad Gratiam juſtificantem fieri ex prævifis meritis naturalibus Fidei, quem ſuum errorem fatetur ingenuè, & libera voce repudiat Lib. 1. Retractat. cap. 23. num. 2. to. 1. per hæc verba: *Nondum diligentius quæſiveram, nec adhuc inveneram qualis eſſet electio gratiæ.... Quod profectò non dicerem, ſi jam ſcirem etiam ipſam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem ſpiritu*. Et iterum Lib. de Præd. SS. cap. 3. num. 7. tom. 10. his verbis reſcribens ad Hilarium, & Proſperum: *Quem meum errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant ante Epiſcopatum meum ſcripta, in quibus eſt illud, quod commemoraſtis literis veſtris, ubi eſt expoſitio quarumdam propoſitionum ex epiſtola, quæ eſt ad Romanos*.

Ad Secundum dicendum, quod ex S. Auguſtino nemo eligitur ad coronam gloriæ, niſi jam diſtans, ideſt, antecedenter diſtans in mente Dei, non quidem meritis naturalibus, ut Pelagiani volebant, ſed ſupernis condignificatis gratia ſanctificante, niſi ſic diſtans, inquam, ab eo qui rejicitur. Undè quod dictum eſt: quia elegit nos ante Mundi conſtitutionem ad coronam gloriæ, non aliter dictum eſt, quam præſcientiâ, qua prævidit merita noſtra ſupernaturalia condignificata gratiâ ſanctificante, quæ ſimul dona ac munera Dei ſunt, propter merè gratuita, ſive indebita dona gratiæ. Conſtat mens Sancti Doctoris ex loco in obiectione citato, videlicet, Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 6. tom. 6., quem locum integrum hìc recitamus, adjunctâ brevi interpretatione uſitatioribus vocibus expreſsâ. Locus autem eſt hujuſmodi. *Non ergo ſecundùm electionem* meritorum præcedentium Gratiam *propoſi-*

poſitum Dei, ideſt, decretum prædeſtinativum ad Gratiam, *manet*; *ſed ex propoſito electio*, videlicet; ex decreto prædeſtinativo ad Gratiam conſequitur electio meritorum ad Gloriam: *ideſt*, *non quia invenit Deus* ante juſtificationem *opera bona in hominibus*, *quæ eligat*, *ideo manet propoſitum juſtificationis ipſius*; *ſed quia illud manet*, *ut juſtificet credentes*, *ideo invenit opera*, *quæ jam eligat ad regnum cœlorum*, videlicet; ſed quia manet decretum prædeſtinativum credentium ad Gratiam juſtificantem, ideo invenit Deus in prævifis juſtificandis merita ſuperna, quæ jam eligat ad regnum cœlorum. *Nam niſi eſſet electio, non eſſent electi*, *nec rectè diceretur*: *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Non tamen electio* meritorum naturalium ad Gratiam, quæ nulla ſunt, *præcedit juſtificationem*; *ſed electionem* meritorum ſupernaturalium ad Gloriam præcedit *juſtificatio*. *Nemo enim eligitur*, *niſi jam diſtans ab illo*, *qui rejicitur*; ſcilicet. Nemo eligitur ad Gloriam, niſi, ex præviſis meritis ſupernis conſequentibus Gratiam, ab æterno diſtans in mente Dei eligentis ab illo, qui rejicitur. *Unde quod dictum eſt*, *Quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem* ad Gloriam, *non video quomodo ſit dictum*, *niſi præſcientia*, ſcilicet, non video quomodo ſit dictum, niſi, ex præviſis meritis ſupernis conſequentibus Gratiam, & præcedentibus Gloriam.

Eſt alter locus præclariſſimus S. Doctoris eodem lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 22. & ultimo, ubi poſt longam, implexam, ac ſalebroſam diſſertationem de Electione gratuita, diſertis verbis tanquam erroneam reprobat electionem ad Gratiam ex præviſis meritis naturalibus: & tanquam certam tacitè affirmat electionem ad Gloriam ex præviſis meritis ſupernis. Ecce verba S. Doctoris: *Quod ſi electio hìc ſit aliqua*, *ut ſic intelligamus quod dictum eſt*: *Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt*: *Non*, *ut juſtificatorum electio fiat ad vitam æternam*, de qua electione nullum eſt dubium; *ſed ut eligantur qui juſtificentur*: *certè ita occulta eſt hæc electio*, *ut in eadem conſperſione nobis prorſus apparere non poſſit*; *aut ſi apparet quibuſdam*, *ego in hac re infirmitatem meam fateor*. *Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam*

ſalutarem, ſi ad examen hujus electionis aliqua cogitatione permittor, niſi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, ſi placet, honeſtas utileſque doctrinas. Quiſquis ergò fuerit quam minimis peccatis irretitus atque maculatus, (nam nullis, quis poteſt?), & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cum hoc ſtatuero, me ridebit ille, qui infirma mundi elegit ut confundat fortia, & ſtulta mundi ut confundat ſapientes.

Quod autem pertinet ad pondus auctoritatis, quæ reſidet in allegata quæſtione ſecunda de Gratia, & Prædeſtinatione libri primi ad S. Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſem & S. Ambroſii ſucceſſorem, dicendum, quæſtionem hujuſmodi a quovis catholico homine excipiendam eſſe tanquam maximi ponderis & momenti. Siquidem S. Doctor Quæſtionem graviſſimam Prædeſtinationis & Gratiæ, a viro Graviſſimo ac Sapientiſſimo ſibi propoſitam, Sancto Simpliciano Epiſcopo Mediolanenſi Sancti Ambroſii ſucceſſore, dirimendam, atque enodandam ſuſcepit, Epiſcopatûs ſui labente anno ſecundo, vel ineunte tertio, cum in dogmaticis controverſiis ſatis eſſet verſatus. Accedit quod S. Auguſtinus lib. 2. retract. c. 1. ad trutinam revocans ſupradictam quæſtionem, hoc judicium de illa protulit, poſt profligatam hæreſim Pelagianam: *In cujus quæſtionis ſolutione, laboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia: nec niſi ad illud potuit perveniri, ut liquidiſſima veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus: Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?*

Præterea S. Auguſtinus anno Chriſti 428. aut 429., in extrema ſua ſenectute, ſcribens adverſus Maſſilienſes Semipelagianos Librum de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 4. num. 8., ut errorem omnem circa divinam Gratiam, atque Prædeſtinationem ab animo Maſſilienſium Semipelagianorum abſtergat penitus, atque expungat, admonet & hortatur illos, ut accuratè legant quæſtionem ſecundam ex libro primo ad Simplicianum, ubi ea quæ ſcripſit de gratia, & prædeſtinatione: & ex divinis ſcripturis

Digitized by Google

ſeſe hauſiſſe: & a Deo revelante ſeſe accepiſſe, teſtatur. Verba S. Doctoris ſunt hujuſmodi. *Si curaſſent*, (Maſilienſes Semipelagiani) *inveniſſent iſtam quæſtionem*, (De Gratia, & Prædeſtinatione) *ſecundùm veritatem divinarum ſcripturarum, ſolutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum ſcripſi Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ Sancti Ambroſii ſucceſſorem, in ipſo exordio Epiſcopatûs mei: Niſi forte non eos noverunt. Quod ſi ita eſt: Facite ut noverint.... Ecce quare dixi ſuperius, hoc Apoſtolico præcipue teſtimonio* (Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?) *etiam meipſum fuiſſe convictum, cum de hac re aliter ſaperem*, (In expoſit. quarumdam Propoſit. ex Epiſt. ad Rom.), *quàm mihi Deus in hac quæſtione ſolvenda, cum ad Epiſcopum Simplicianum ſcriberem, revelavit*.

Poſtremò, referente Hilario ad Auguſtinum epiſt. inter Auguſtinianas 226. num. 8. querelas Maſſilienſium Semipelagianorum dictitantium: *Non opus fuiſſe, hujuſcemodi diſputationis incerto, minus intelligentium tot corda turbari; quoniam non minus utiliter, ſine hac definitione Prædeſtinationis, per tot annos defenſa eſt catholica fides, tum contra alios, tum maximè contra Pelagianos, tot catholicorum, & aliorum, & ipſiuſmet Auguſtini præcedentibus libris*. Ad hæc S. Doctor reſpondet, Lib. de Dono Perſev. c. 20. num. 52. tom. 10., ſe nihil novi docuiſſe circa Dei Gratiam & Prædeſtinationem in poſterioribus ſuis libris, præcipuè verò in Libro de Correptione, & Gratia, quod non docuerit antea in præcedentibus ſuis libris, præcipuè vero in quæſtione ſecunda ex Libro primo ad Simplicianum, quam adverſus Semipelagianos circa Dei Gratiam, & Prædeſtinationem errantes, iterum S. Doctor allegat, atque in medium per hæc verba producit. *Multùm miror hæc eos dicere, nec adtendere ipſos libros noſtros, & antequam Pelagiani apparere cæpiſſent, conſcriptos & editos, & videre, quàm multis eorum locis, futuram neſcientes Pelagianam hæreſim cædebamus, prædicando Gratiam, quâ nos Deus liberat a malis erroribus, & moribus noſtris, non præcedentibus bonis meritis noſtris, faciens hoc ſecundùm gratuitam miſericordiam ſuam.*

Quod

Digitized by Google

Quod plenius ſapere cœpi in ea diſputatione, quam ſcripſi ad beatæ memoriæ Simplicianum Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ, in mei Epiſcopatûs exordio, quando & initium fidei donum Dei eſſe cognovi, & aſſerui. Et iterum, eodem libro de Dono Perſev. cap. 21. num. 55. tom. 10., admonet Gallos Semipelagianos, in ſecunda quæſtione ex lib. 1. ad Simplicianum contineri & prædicari, vel explicitè vel implicitè, circa Dei Gratiam & Prædeſtinationem, eadem illa dogmata, quæ adeo commoverunt, ac perturbarunt Maſſilienſes Semipelagianos in Libro de Correptione, & Gratia recens edito, atque evulgato. *Videant*, inquit Auguſtinus, *utrum in primi libri poſterioribus partibus, eorum duorum quos mei Epiſcopatûs initio, antequam Pelagiana hæreſis appareret, ad Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopum ſcripſi, remanſerit aliquid, quo vocetur in dubium, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari: & utrum ibi non ſatis egerim, etiam initium fidei eſſe donum Dei: & utrum ex iis quæ ibi dicta ſunt, non conſequenter eluceat, etſi non ſit expreſſum, etiam uſque in finem perſeverantiam, nonniſi ab eo donari, qui nos prædeſtinavit in ſuum regnum, & gloriam.*

Quæ cum ita ſint: Studioſos Divinæ Gratiæ ac Prædeſtinationis cultores theologos cum Auguſtino monemus, atque adhortamur, ut Quæſtionem ſecundam S. Doctoris ex Libro primo ad Simplicianum adeant, tanquam Oraculum Auguſtinianum conſulant, ſedulò meditentur, nunquam e ſuis manibus excidere ſinant; quinimo diurna, nocturnaque manu verſent, conterant, atque pertractent.

Ad tertium dicendum, quod divina electio, de qua ibi loquitur S. Auguſtinus, eſt electio ad donum perſeverantiæ in vero Dei cultu, in quo permanſerunt Elias, & ſeptem illa millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Hæc autem electio non fuit ex ullo merito naturali, ſed ex merito ſuperno ſanctæ fiduciæ de divina gratia, & ſanctæ diffidentiæ de propria virtute. Sic enim introducit Deum S. Doctor cum Elia ſermocinantem loco citato. *Niſi gratiâ meâ plenus eſſes, nonnè ante Baal etiam ipſe genuflecteres? Gratiâ autem meâ ple-*

plenus es, quia nihil de tua virtute, ſed totum de meà gratià præſumpſiſti.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino illa electio, de quà ibi differit S. Doctor, non eſt ſecundum illorum juſtitiam naturalem, ſed ſupernam, indebitum atque gratuitum donum Dei: quod S. Auguſtinus ſtatim confirmat exemplo Eliæ, & ſeptem mille virorum, qui non curvaverunt genua antè Baal, ſed perſeveraverunt in Dei veri cultu. Mox cap. 3. num. 4. loci allegati concludit ſic. *Cave ò Chriſtiane, cave ſuperbiam. Licet enim imitator ſanctorum ſis, totum ſemper gratiæ reputa; quia ut eſſet aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum, fecit.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Præſciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri eſſent ſancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi conſtitutionem, in ipſa ſua præſcientia, quà tales futuros eſſe præſcivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam eſſent, prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos, immaculatoſque præſcivit, utique ipſe non fecit, nec ſe facturum, ſed illos futuros prævidit.* (b) *Ipſe enim Pelagiani putant, acceptis præceptis, jam per nos ipſos fieri liberæ voluntatis arbitrio ſanctos, & immaculatos in conſpectu ejus in caritate; quod futurum Deus quoniam præſcivit, inquiunt, ideo nos ante mundi conſtitutionem elegit, & prædeſtinavit in Chriſto.* (c) *Nos autem dicimus, inquiunt Maſſilienſes Semipelagiani, noſtram Deum non præſciſſe niſi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem, ac prædeſtinaſſe, ut etiam ſancti, & immaculati gratia, atque opere ejus eſsemus.* (d) *Sed hìc certè vacat vana horum ratiocinatio, qui præſcientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, & ideo dicunt nos electos ante mundi conſtitutionem, quia præſcivit nos futuros bonos, non ſeipſum nos facturum bonos.* (e) *Siquidem elegit nos Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem, prædeſtinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos ſancti, & imma-*

Digitized by Google

immaculati futuri eramus, ſed elegit, prædeſtinavitque, ut eſſemus. (f) *Elegit ergo ſanctos prædeſtinatos in Filio ſuo, ante conſtitutionem mundi, per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorum, quia gratia illis eſt omne meritum.* (g) *Hinc profecto deſipitis, ò Pelagiani, qui dicente veritate, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt; vos dicitis: ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſcivit, Jacob fuiſſe dilectum. Præcedit namque non debita, ſed gratuita gratia, ut per illam fiant opera bona, ne ſi præceſſerint bona opera, tanquam operibus reddatur gratia; ac ſic gratia, jam non ſit gratia.* (h) *Quin etiam Chriſtum Dominum, & nos Deus prædeſtinavit, quia & in illo, ut eſſet Caput noſtrum; & in nobis, ut ejus corpus eſſemus, non præceſſura merita noſtra, ſed opera ſua futura præſcivit.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. de Præd. SS. cap. 18. num. 36. tom. 10. (*b*) Lib. de Præd. SS. cap. 19. num. 38. tom. 10. (*c*) Lib. de Præd. SS. eodem loco (*d*) Tract. 86. in Joan. num. 2. tom. 3. (*e*) Lib. de Præd. SS. cap. 18. num. 37. tom. 10. (*f*) Lib. de Correp. & Grat. cap. 7. num. 13. tom. 10. (*g*) Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 7. num. 15. tom. 10. (*h*) Lib. de Dono Perſev. cap. 24. num. 67. tom. 10.

ARTICULUS IV.

Utrum ex S. Auguſtino Divina Prædeſtinatio ad Gloriam ſit ex prævíſis meritis naturalibus?

Videtur, quod ex S. Auguſtino Divina Prædeſtinatio ad Gloriam ſit ex prævíſis meritis naturalibus. Hæc enim docet.

I. TRact. 14. in Joan. num. 8. tom. 3. *Eſt quidam populus natus ad iram Dei, & ad hoc præcognitus. Qui ſint enim credituri, & qui non ſint credituri, novit Deus: qui ſint perſeveraturi in eo, quod crediderunt, & qui ſint lapſuri, novit Deus: & numerati ſunt Deo omnes futuri in vitam*

vitam æternam, & novit illum populum diſtinctum.

II. Lib. de Dono Perſev. cap. 22. num. 57. tom. 10. *Quæ tamen prædeſtinatio non ità populis prædicanda eſt, ut apud imperitam, vel tardioris intelligentiæ multitudinem, redargui quodammodo ipsâ ſuâ prædicatione videatur .... Sed dicendum eſt; ſic currite, ut comprehendatis; atque, ut ipſo curſu veſtro, ita vos eſſe præcognitos noveritis, ut legitimè currretis: & ſi quo alio modo Dei præſcientia prædicari poteſt, ut hominis ſegnitia repellatur.*

III. Lib. 2. de Peccat. Merit. & Remiſſ. cap. 29. num. 47 tom. 10. agens de fide Mediatoris, hæc ſtatuit. *Idem ipſe Dominus noſter hanc ſuam medelam nullis generis humani temporibus, antè ultimum futurum adhuc judicium, denegavit eis, quos per certiſſimam præſcientiam, & futuram beneficentiam, ſecum regnaturos in vitam prædeſtinavit æternam.*

IV. Lib. de Civit. Dei cap. 8. num. 1. tom. 7. hæc aſſerit. *Placuit divinæ providentiæ præparare in poſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti; & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino Prædeſtinatio ad Gloriam non eſt ex prævisis meritis naturalibus: huic enim contraria ſententia eſt ipſamet hæreſis Pelagianorum, qua aſſerebant, quod ſicuti corona gloriæ redditur tanquam merces ex præcedentibus meritis non quidem ſupernis, ſed naturalibus; ita eadem corona gloriæ prædeſtinatur tanquam merces ex prævisis futuris meritis non quidem ſupernis, ſed naturalibus; hunc autem errorem ſic S. Doctor evertit.

I. Lib. de Dono Perſev. cap. 21. num. 56. tom. 10. hæc adverſus Semipelagianos ſtatuit. *Inter initium fidei, & perfectionem perſeverantiæ, media ſunt illa, quibus rectè vivimus, quæ ipſi etiam donari nobis à Deo, fide impetrante, conſentiunt. Hæc autem omnia, initium ſcilicet fidei, & cetera uſque in finem dona ſua Deus largiturum ſe vocatis ſuis eſſe præ-*

Digitized by Google

ſcivit. Nimiæ igitur contentionis eſt, prædeſtinationi contradicere, vel de prædeſtinatione dubitare;

Ergo ex S. Auguſtino divina ad gloriam prædeſtinatio, quæ finalem conſequitur perſeverantiam, non eſt ex prævilis meritis naturalibus fidei, finalis perſeverantiæ, ceterarumque virtutum, quæ mediant inter initium fidei, atque ultimam perſeverantiam; quippe quæ dona Dei ſunt, per gratiam, non per naturam comparata, ut contendebant Pelagiani, eorumdemque reliquiæ per Galliam Semipelagiani.

II. Lib. de Dono Perſev. cap. 16. num. 41. tom. 10. hæc iterum refert de Semipelagianis. *A Pelagianorum porrò hæretica perverſitate tantùm iſti remoti ſunt, propter quos hæc agimus, ut licet nondum velint fateri prædeſtinatos eſse, qui per Dei gratiam fiant obedientes, atque permaneant, jam tamen fateantur, quod eorum præveniat voluntatem, quibus datur hæc gratia;*

Ergo ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad gloriam, quæ fidei corona eſt, & ultimæ perſeverantiæ, non eſt ex merito naturali fidei, atque perſeverantiæ, quippe quæ, ideſt, fides, atque perſeverantia gratiâ Dei præveniuntur, neceſſariâ ad ipſum quoque fidei initium, & ultimam perſeverantiam, noſtræ ſalutis complementum.

III. Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 6. num. 15. tom. 10. hæc adverſus Pelagianos definit. *Cum dicunt Pelagiani hanc eſse ſolam non ſecundùm merita noſtra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam verò quæ datur in finem, ideſt, æternam vitam, meritis noſtris præcedentibus reddi, reſpondendum eſt eis. Si enim merita noſtra ſic intelligerent, ut etiam ipſa dona Dei eſſe cognoſcerent, non eſset reprobanda iſta ſententia; quoniam verò merita humana ſic prædicant, ut ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſtolus: Quis enim te diſcernit? Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*

Ergo ex S. Auguſtino ſi reprobanda ſententia eſt, quâ dicitur, æternam vitam reddi ex præexiſtentibus meritis naturalibus, etiam ex eodem reprobanda ſententia eſt, qua dicitur,

Digitized by Google

tur, æternam vitam prædeſtinari ex prævifis meritis naturalibus; unum enim ex altero conſequitur. Utrumque Pelagiani affirmabant. Utrumque Auguſtinus dumtaxat negabat, agens de prædeſtinatione adverſus Pelagianos: videlicet. S. Doctor ſolum negabat æternam vitam, & reddi ex præexiſtentibus, & prædeſtinari ex prævifis quibuſcumque merit is naturalibus. Similiter e contrario: Si ex S. Auguſtino non eſt reprobanda ſententia, qua dicitur, æternam vitam reddi ex præexiſtentibus meritis ſupernis gratià condignificatis, ex eodem non eſt reprobanda ſententia, qua dicitur, æternam vitam prædeſtinari ex prævifis meritis ſupernis gratia condignificatis. Quemadmodum enim ex primo dogmate Pelagiano conſequebatur ſecundum; itâ ex primo dogmate Auguſtiniano ſecundum conſequitur.

IV. Lib. de Dono Perſev. cap. 14. num. 35. tom. 10. hæc habet adverſus Semipelagianos. *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe quibus eſſet daturus ut crederent, aut quos daturus eſſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique ſi præſcivit, profecto beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſcivit. Hæc eſt prædeſtinatio ſanctorum, nihil aliud: Præſcientia, ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Ceteri autem ubi, niſi in maſsà perditionis, juſto divino judicio, relinquuntur?*

Ergo ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad gloriam, quæ conſequitur fidem, quæ per dilectionem operatur, & conſequitur ultimam finalem perſeverantiam, non eſt ex prævifis meritis naturalibus fidei, & perſeverantiæ; quandoquidem ambo hæc, de quibus tantùm hìc agit S. Doctor adverſus Semipelagianos, ſunt dona & beneficia Dei, quod Semipelagiani negabant, quibus Dei beneficiis, fide videlicet, quæ per dilectionem operatur, & ultimà finali perſeverantià, certiſſimè liberantur, quicumque a perditionis maſsâ liberantur.

V. Lib. de Dono Perſev. cap. 17. num. 43. tom. 10. eadem iterum ſic luculentiùs confirmat. *Cum dixerimus atque oſtenderimus, & initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam*

Digitized by Google

Dei dona eſſe, nec ulla ſua futura dona, & quæ danda eſſent, & quibus danda eſſent, Deum non præſcire potuiſſe, ac per hoc prædeſtinatos ab illo eſſe, quos liberat, & coronat;

Ergo ex S. Auguſtino prædeſtinati a Deo ſunt illi, quos Deus a perditione liberat, & gloriâ coronat; per hoc tamen prædeſtinati ſunt, quòd Deus in illis prævidet futuram fidem, perſeverantiam, ceteraſque medias virtutes, dona fore, & gratuita munera ſua, profectura ex prorſus indebita, & merè gratuita ſua gratia; non autem profectura ex ſolis naturæ viribus, ex ſolo arbitrio libero, ex ſola humana induſtria, quod ſuperbi, & ingrati affirmabant Pelagiani, & Semipelagiani; ac proinde ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad Gloriam non eſt ex prævifis meritis naturalibus.

VI. Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 22. tom. 6. hæc docet: *Quod ſi electio hìc ſit aliqua, ut ſic intelligamus quod dictum eſt: Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt, non ut juſtificatorum electio fiat ad vitam æternam, ſed ut eligantur qui juſtificentur: certè ita occulta eſt hæc electio, ut in eadem conſperſione nobis prorſus apparere non poſſit .... Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem;*

Ergò S. Auguſtinus duplicem hìc electionem commemorat, videlicet: Electionem juſtificatorum ad vitam æternam; & electionem impiorum ad gratiam juſtificantem. Deinde concludit: In ſecunda dumtaxat electione impiorum ad gratiam juſtificantem ſe non invenire merita præcedentia, quæ intueatur; ſed ſi electio juſtificatorum ad vitam æternam eſſet ex prævifis meritis naturalibus, hæc eadem merita naturalia, in electione impiorum ad gratiam juſtificantem, inveniret Auguſtinus, quæ intueretur; quare ex S. Auguſtino electio juſtificatorum ad vitam æternam non eſt ex prævifis meritis naturalibus.

VII. Lib. de Correp. & Grat. cap. 6. num. 10. tom. 10. hæc inquit: *Quis in æternam vitam potuit ordinari, niſi perſeverantiæ dono? Quandoquidem qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Quâ ſalute, niſi æterna?*

Ergo

Ergo ex S. Auguſtino cum finalis perſeverantia non ſit meritum naturæ, ſed donum gratiæ, divina prædeſtinatio ad æternam vitam, quæ conſequitur finalem perſeverantiam, non eſt ex prævisô naturali merito finalis perſeverantiæ, quod Semipelagiani pugnaciſſimè contendebant; adeoque divina prædeſtinatio ad gloriam, ex S. Auguſtino, non eſt ex prævisis meritis naturalibus.

VIII. Serm. 131. cap. 8. num. 8. tom. 5. exponens verba illa Pſalmi 115. *Qui coronat te in miſeratione, & miſericordia*: hæc adverſus Pelagianos prædicat. *De miſericordia te coronat, de miſeratione te coronat. Non enim dignus fuiſti, quem vocaret, & vocatum juſtificaret, juſtificatum glorificaret. Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt; Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia. Nam ei qui operatur, merces non imputabitur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Apoſtolus loquitur, non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Te autem coronat in miſeratione & miſericordia. Et ſi tua merita præceſſerunt, dicit tibi Deus: Diſcute benè merita tua, & videbis, quia dona ſunt mea.*

Ergo ex S. Auguſtino corona gloriæ non datur ex præteritis naturæ meritis præcedentibus gratiam, ſed conſequentibus; hinc ſimiliter ex S. Auguſtino corona gloriæ non prædeſtinatur ex prævisis naturæ meritis præcedentibus gratiam, ſed conſequentibus; ac proinde ex S. Auguſtino divina prædeſtinatio ad Gloriam non eſt ex prævisis meritis naturalibus.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino, loco citato, divina prædeſtinatio ad gloriam non eſt ex prævisis meritis naturalibus fidei, & perſeverantiæ. Hæc enim opinio error fuit Semipelagianorum, ut conſtat ex epiſtolâ Proſperi ad Auguſtinum inter Auguſtinianas 225. num. 3. tom. 2., quorum hæc verba ſunt. *Qui autem credituri ſunt, quive in ea fide, quæ deinceps per gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem Deum: & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine exceſſuros eſſe, præviderit.* Huic autem epiſtolæ, & alteri Hilarii, ejuſdem argumenti,

San-

Sanctus Doctor reſpondet duplici libro, videlicet, L. de Præd. SS. & L. de Don. Perſev.; in quorum primo, fidem; in altero verò, perſeverantiam non eſſe naturæ merita, ſed gratiæ dona inviciſſimè oſtendit; ac proindè concludit divinam prædeſtinationem ad gloriam non eſſe ex prævifis meritis naturalibus.

Ad ſecundum dicendum, quod legitimus ille curſus, quo confecto, gloriæ bravium comprehenditur ex Apoſtolo, nihil eſt aliud, interprete S. Auguſtino, quam ſeries bonorum operum, ab initio fidei, uſque ad finalem perſeverantiam, per quæ vitæ curriculum a prædeſtinato conficitur. Hæc autem ſeries, ex S. Auguſtino, non coaleſcit ex naturæ meritis, ſed ex donis gratiæ, & quatenùs ſunt dona ſua, a Deo prædeſtinante præſciuntur. Hinc Lib. de Dono Perſev. cap. 21. num. 56. tom. 10. inquit: *Inter initium autem fidei, & perfectionem perſeverantiæ, media ſunt illa, quibus rectè vivimus, quæ ipſi etiam donari nobis a Deo, fide impetrante, conſentiunt. Hæc autem omnia, initium ſcilicet fidei, & cetera uſque in finem dona ſua, Deum largiturum ſe vocatis ſuis eſſe, præſcivit. Nimiæ igitur contentionis eſt prædeſtinationi contradicere, vel de prædeſtinatione dubitare.* Et eodem Lib. de dono Perſev. cap. 17. num. 47. tom. 10. *Hæc itaque dona Dei, quæ dantur electis ſecundùm Dei propoſitum vocatis, in quibus donis eſt & incipere credere, & in fide uſque ad vitæ hujus terminum perſeverare, ſicut tantâ rationum atque auctoritatum conteſtatione probavimus; hæc, inquam, Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio quam defendimus, non præſciuntur a Deo; præſciuntur autem; hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus.* Et eodem Lib. cap. 19. num. 48. *Hoc ſcio neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum ſcripturas ſanctas defendimus, niſi errando, diſputare potuiſſe.* Ex quibus ſedulò animadverſis ac perſcrutatis, liquidiſſimè conſtat, S. Auguſtinum non aliam impugnare prædeſtinationem, quam Semipelagianam, ex prævifis meritis naturalibus fidei, & perſeverantiæ; neque aliam propugnare prædeſtinationem, niſi oppoſitam prædeſtinationi Semipelagianæ, ex prævifis meritis naturali-

Digitized by Google

ralibus, contra quam catholicam prædeſtinationem, ſemipelagianæ oppoſitam prædeſtinationi, nemo, ex S. Doctore, niſi errando diſputare poteſt: cui contradicere, vel de ea dubitare nimiæ eſt contentionis; eſt enim prædeſtinatio præſcientiam conſequens de gratuitis donis Dei, non de meritis naturalibus hominis.

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino certiſſima illa præſcientia, per quam Deus ſecum regnaturos in vitam prædeſtinavit æternam, non eſt præſcientia operum, ac meritorum naturæ noſtræ ſibi relictæ; ſed donorum, & operum gratuitæ beneficentiæ Dei. Hæc enim affirmat Lib. de Dono Perſ. cap. 17. num. 41. tom. 10. *Iſta igitur ſua dona, quibuſcumque Deus donat, procul dubio ſe donaturum eſse præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit: quos ergo prædeſtinavit, ipſos & vocavit vocatione illa, quam ſæpe commemorare non piget, de qua dictum eſt: ſine pœnitentià ſunt dona, & vocatio Dei; namque in ſuà, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientià, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quidquam, eſt prædeſtinare.*

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino Providentia Dei prædeſtinativa, præparans in poſterum æterna bona juſtis, quibus bonis non fruentur injuſti, non eſt ex prævisâ illorum juſtitiâ naturali, quæ gratiam præceſſerit, & non ſit opus miſericordiæ Dei. Siquidem ex Auguſtino Ep. 186. ad Paulinum cap. 6. num. 18. tom. 2. *Hæc maſſa, ſi ita eſset media, ut quemadmodum nihil boni, ità nec mali aliquid mereretur, non fruſtra videretur iniquitas, ut ex eadem fierent vaſa in contumeliam. Cum verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem univerſa defluxerit, proculdubio, quod ex ea fiant vaſa in honorem, non ipſius juſtitiæ, quæ gratiam nulla præceſſit, ſed Dei Miſericordiæ; quod vero in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ abſit ut ſit apud Deum, ſed judicio, deputandum eſt.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Cum dicunt Pelagiani hanc eſse ſolàm non ſecundum meri-*

merita noſtra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: Illam verò, quæ datur in finem, ideſt, æternam vitam meritis noſtris præcedentibus reddi, reſpondendum eſt eis: Si enim merita noſtra ſic intelligerent, ut etiam ipſa dona Dei eſse cognoſcerent, non eſset reprobanda iſta ſententia. Quoniam verò merita humana ſic prædicant, ut ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſtolus. Quis enim te diſcernit? Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? (b) *A Pelagianorum autem hæretica perverſitate tantùm iſti remoti ſunt, propter quos hæc agimus, ut licèt nondum velint fateri prædeſtinatos eſse, qui per Dei gratiam fiant obedientes, atque permaneant, jam fateantur, ut eorum præveniat voluntatem, quibus datur hæc gratia.* (c) *Etenim inter initium fidei, & perfectionem perſeverantiæ, media ſunt illa, quibus rectè vivitur, quæ ipſi etiam donari nobis à Deo, fide impetrante, conſentiunt. Hæc autem omnia, initium ſcilicet fidei, & cetera uſque in finem dona ſua, Deum largiturum ſe vocatis ſuis eſse præſcivit. Nimiæ igitur contentionis eſt prædeſtinationi contradicere, vel de prædeſtinatione dubitare.* (d) *Cum dixerimus atque oſtenderimus, & initium fidei, & uſque in finem perſeverantiam Dei dona eſse, nec ulla ſua futura dona, & quæ danda eſsent, & quibus danda eſsent Deum non præſcire potuiſſe; ac per hoc prædeſtinatos ab illo eſſe, quos liberat & coronat.* (e) *Quis enim in æternam vitam potuit ordinari, niſi perſeverantiæ dono? Quandoquidem qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Qua ſalute, niſi æterna?* (f) *An forte quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus eſset daturus, ut crederent; aut quos daturus eſset Filio ſuo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique ſi præſcivit, profectò beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſcivit. Hæc eſt prædeſtinatio ſanctorum, præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur. Ceteri autem ubi, niſi in maſsa perditionis, juſto Divino judicio, relinquuntur?* (g) *Igitur de miſericordia te coronat, de miſeratione te coronat.*

Non

Digitized by Google

Non enim dignus fuiſti quem vocaret, & vocatum juſtificaret, juſtificatam glorificaret. Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt; Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia; Nam ei, qui operatur, merces non imputabitur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Apoſtolus loquitur, non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum. Te autem coronat in miſericordia, & miſeratione: & ſi tua merita præceſſerunt, dicit tibi Deus: *Diſcute bene merita tua, & videbis quia dona ſunt mea.* (h) *Quod ſi electio hìc ſit aliqua, ut ſic intelligamus, quod dictum eſt: Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt, non ut juſtificatorum electio fiat ad vitam æternam; ſed ut eligantur, qui juſtificentur; certè ita occulta eſt hæc electio, ut in eadem conſperſione nobis prorſus apparere non poſſit: Non enim habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem.* Hactenus ex Sancto Auguſtino.

(*a*) De Grat. & Lib. Arb. cap. *6.* num. *15.* tom. 10. (*b*) Lib. de dono Perſev. cap. *16.* num. 41. to. 10. (*c*) Lib. de dono Perſev. cap. 21. num. *56.* to. 10. (*d*) Lib. de don. Perſev. cap. 17. num. 4*3*. tom. 10. (*e*) Lib. de Correp. & Grat. cap. *16.* num. 10. tom. 10 (*f*) Lib. de dono Perſev. cap. 14. num. *35.* to. 10. (*g*) Serm. 1*3*1. cap. 8. num. 8. tom. *5.* (*h*) Lib. 1. ad Simplic. Queſt. 2. num. 22. tom. *6.*

QUÆSTIO VII.

De Libertate hominis in ſex articulos diſtributa:

Quid Præclariſſimus Doctor Auguſtinus de hominis ſenſerit libertate, poſtquam Adam peccato ſuo poſteros omnes infinitis propemodum afflixit calamitatibus, animus eſt hac ſeptima quæſtione aperire, quam in ſex articulos diſtributam damus. I. eſt: Utrum ex S. Auguſtino in homine lapſo perſeveret eadem electiva libertas indifferentiæ, quæ fuerat in homine integro? II. Utrum ex S. Auguſtino homo lapſus voluntarios ſuos actus agat ſub irreſiſtibili illos agendi neceſ-

ceſſitate? III. Utrum ex S. Auguſtino ad meritum, & demeritum hominis lapſi ſit neceſſaria libertas immunis ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate? IV. Utrum ex S. Auguſtino *præceptum*, *conſilium*, *laus*, *reprehenſio*, *& vituperatio*, quibus ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo arguant ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate? V. Utrum apud S. Auguſtinum vocabula hæc: *libertas*, *poteſtas*, *voluntas*, & his ſimilia, ſolam in homine lapſo immunitatem ſignificent a violenta coactione? VI. Utrum apud S. Auguſtinum vocabula hæc: *impoſſibilitas*, *impotentia*, *coactio*, *neceſſitas*, & his ſimilia, inſuperabilem in homine lapſo ſignificent ad agendum, ſive impotentiam, ſive neceſſitatem?

ARTICULUS I.

Utrum ex S. Auguſtino in homine lapſo perſeveret eadem electiva libertas indifferentiæ, quæ fuerat in homine integro?

Videtur, quod ex S. Auguſtino in homine lapſo non perſeveret eadem electiva libertas indifferentiæ, quæ fuerat in homine integro. Has enim ſententias profert.

I. Lib. de Correp. & Grat. c. 12. num. 37. tom. 10. *Nunc vero poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.*

II. Ad Vital. Epiſt. 217. cap. 4. num. 12. tom. 2. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.*

III. In Enchir. cap. 30. tom. 6. *Libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum.*

IV. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 76. tom. 10. *Quomodo manet libertas in eis, qui ut liberentur a ſervitute, qua victori peccato addicti ſunt, divina indigent gratia, niſi quia liberi*

Digitized by Google

liberi ſunt & ipſi, ſed juſtitiæ. Unde dicit Apoſtolus: Cum eſſetis ſervi peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.

V. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 104. tom. 10. *Iſta definitio peccati ejus eſt, quod peccatum tantummodo eſt, non quod etiam pœna peccati, quâ periit libertas non peccandi.*

VI. Lib. 6. Oper. Imperf. num. 21. tom. 10. *Definitio vero illa peccati, ubi intelligitur: Voluntas appetens, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere, illius peccati definitio eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati, quod neſcio quoties tibi jam ad iſta reſponſum eſt. Qui enim dicit: Non quod volo bonum facio; ſed quod nolo malum hoc ago, non illi ab hoc malo liberum eſt abſtinere; & ideo invocat Liberatorem, quia perdidit libertatem.*

VII. Lib. 5. Oper. Imperf. num. 28. tom. 10. *Quomodo eſt enim liberum abſtinere, ubi clamatur: Quod nolo hoc facio? Aliter ergo natura humana peccavit, quando ei liberum fuit abſtinere a peccato; aliter nunc perdita libertate, quando eget Liberatoris auxilio, & illud tantummodo peccatum erat, hoc autem etiam eſt pœna peccati.*

VIII. Lib. 6. Oper. Imperf. num. 10. tom. 10. *Si ergo nos agnoſcimus hominem in corpore vitæ illius beatum, ubi liberum habuit, quod vellet agere, ſive bonum, ſive malum; ſic tu agnoſce hominem in corpore mortis hujus miſeram, ubi perdita libertate, audis eum dicere: Non quod volo ago; ſed quod odi, illud facio.*

IX. Lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 18. num. 52. tom. 1. *Nec mirandum eſt, quod vel ignorando, non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid recte faciat; vel reſiſtente carnali conſuetudine, quæ violentia mortalis ſucceſſionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid recte faciendum ſit & velit, nec poſſit implere. Illa eſt enim peccati pœna juſtiſſima, ut amittat unuſquiſque, quo bene uti noluit, cum ſine ulla poſſet difficultate, ſi vellet. Ideſt autem, ut qui ſciens recte non facit, amittat ſcire, quod rectum eſt; & qui recte facere cum poſſet noluit, amittat poſſe cum velit. Nam ſunt reverâ omni peccanti animæ duo iſta pœnalia: Ignorantia, & diffi-*

difficultas .... Sed approbare falſa prò veris, ut erret invitus; & reſiſtente atque torquente dolore carnalis vinculi, non poſſe a libidinoſis operibus temperare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Cum autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa ſcilicet, in qua homo factus eſt, loquimur.

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino in homine lapſo perſeverat eadem electiva libertas indifferentiæ, quæ fuerat in homine integro. Pro hac enim libertate tuenda hominis lapſi, pluribus validiſque ſententiis ita dimicat S. Doctor.

I. Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 2. num. 5. tom. 10. *Liberum arbitrium defendendo præcipitant, ut de illo potius ad faciendam juſtitiam, quam de Domini adjutorio confidatur. Quis autem noſtrûm dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quippe periit per peccatum, ſed illa quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam*;

Ergo ex S. Auguſtino, propter Adæ peccatum, alia libertas non periit de humano genere lapſo, præter illam, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam; ac proinde ex S. Doctore, poſt Adæ peccatum, non periit, ſed perſeverat in homine lapſo eadem electiva libertas indifferentiæ, quæ fuerat in homine integro.

II. Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 15. num. 29. tom. 10. ad hanc Juliani Pelagiani propoſitionem, videlicet. *Nos dicimus liberum arbitrium in omnibus eſſe naturaliter, nec Adæ peccato perire potuiſſe, quod ſcripturarum omnium auctoritate firmatur*: ſic reſpondet Auguſtinus. *Hæc ſiquemadmodum oportet, non contra Dei gratiam diceretis, non conſenſum prævaricatoribus adhiberetis, ſed veſtrum errorem corrigeretis*;

Ergo ex S. Auguſtino, ſemel a Pelagianis admiſsà interioris gratiæ neceſſitate ad opera ſalutaria, cujus gratiæ, propter Adæ

Adæ peccatum, homo lapſus poſitivum habet demeritum, eſt dogma catholicum, eamdem electivam libertatem indifferentiæ perſeverare in homine lapſo, quæ antea fuerat in homine integro.

III. Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagian. cap. 5. num. 9. tom. 10. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periiſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo; ad bene autem pièque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adjuta;*

Ergo ex S. Auguſtino, adjuncta neceſſitate divinæ gratiæ ad quoslibet prorſus actus ſalutares, quam prævenientis gratiæ neceſſitatem, cæco quodam furore, Pelagiani oppugnabant, contendentes liberum eſſe hominem, & immunem a prævenientis gratiæ neceſſitate, eadem electiva libertas indifferentiæ perſeverat in homine lapſo, quæ jam fuerat in homine integro.

IV. Lib. 6. Oper. Imperf. num. 19. tom. 10. his verbis Julianum Pelagianum adoritur: *Cur ergo non credis libertatem bene agendi, voluntate humana perire potuiſſe, nec redire poſſe, niſi divina voluntate, cum audias hominem dicentem, non quod volo, facio bonum; ſed quod nolo malum, hoc ago?*

Ergo ex S. Auguſtino homo lapſus gratiam, Adam peccante, demeritus, atque rebelli obnoxius concupiſcentiæ, ejuſdem gratiæ beneficio, recuperat ſupernam electivam libertatem indifferentiæ, quam Adam peccando ſibi, ſuiſque nepotibus perdidit; ac proinde eadem electiva libertas indifferentiæ perſeverat in homine lapſo, quæ jam fuerat in homine integro.

V. Lib. 3. Oper. Imperf. num. 69. tom. 10. ſic Pelagianos redarguit: *Liberum arbitrium vos opprimitis, cui reddendo, vel adjuvando Dei gratiam denegatis... Arbitrii liberi infirmitatem, non niſi per Chriſti gratiam, poteſt humana reparare natura;*

Ergo ex S. Auguſtino beneficio gratiæ, redditur, ac reparatur

Digitized by Google

ratur in homine lapſo libertas illa, quæ fuerat jam in homine integro; ſed non alia profectò redditur, ac reparatur libertas, quam electiva libertas indifferentiæ ad opera ſalutaria, beneficio divinæ gratiæ; quare ex S. Auguſtino, beneficio divinæ gratiæ, redditur, ac reparatur in homine lapſo electiva libertas indifferentiæ ad opera ſalutaria, quæ jam fuerat in homine integro.

VI. Lib. 6. Oper. Imperf. num. 11. tom. 10. *Ergo Dei gratiam conantur auferre, quam neceſſe eſt, etiam reſtitutà nobis ſtatûs priſtini libertate, quæramus... Audis reſtitui libertatem, & non periiſſe contendis, atque humana voluntate contentus, divinam non petis gratiam, quam libertas noſtra, etiam in ſtatu priſtino reſtituta, ſibi eſſe intelligit neceſſariam;*

Ergo ex S. Auguſtino, munere divinæ gratiæ, reſtituitur homini lapſo priſtini ſtatûs libertas; cum autem nobis minimè reſtituatur libertas priſtina a morte, ab ignorantia, a concupiſcentia, ceteriſque pœnalibus, quibus obruimur, calamitatibus, vacua & immunis; conſequens eſt, ut, dono divinæ gratiæ, reſtituatur nobis priſtina electiva libertas indifferentiæ ad opera ſalutaria.

VII. Lib. 3. Oper. Imperf. num. 141. tom. 10. *Unde fieri poteſt, ut adjutoria gratiæ Dei liberum arbitrium loco pellant, quod potius vitiis pulſum, & nequitiæ ſubjugatum, ut in locum ſuum redeat, liberant?*

Ergo ex S. Auguſtino adjutoria gratiæ Dei non loco pellunt arbitrium liberum, ſed potius præſtant, ut in locum ſuum redeat, quem obtinebat ante peccatum; ſed non in alium ſane locum, quàm electivæ libertatis indifferentiæ ad opera ſalutaria; adeoque ex S. Auguſtino adjutoria gratiæ Dei præſtant, ut arbitrium liberum redeat in locum priſtinum electivæ libertatis indifferentiæ ad opera ſalutaria.

VIII. Lib. de Contin. cap. 6. num. 16. tom. 6. *Non autem poteſtas Deo defuit, talem facere hominem, qui peccare non poſſet; ſed maluit eum talem facere, cui adjaceret, peccare ſi vellet, non peccare ſi nollet, hoc prohibens, illud præcipiens,*

Digitized by Google

cipiens, ut prius eſſet illi bonum meritum, non peccare; & poſtea juſtum præmium, non poſſe peccare. Nam etiam tales ſanctos ſuos in fine facturus eſt, qui omnino peccare non poſſint. Tales habet quippe etiam nunc Angelos ſuos, quos in illo ſic amamus, ut de nullo eorum, ne peccando fiat diabolus, formidemus: quod de nemine homine juſto, in hujus vitæ mortalitate, præſumimus. Tales autem omnes futuros, in illius vitæ immortalitate, confidimus;

Ergo dum aſſerit S. Doctor, talem comparatum fuiſſe hominem integrum, cui adjaceret peccare ſi vellet, non peccare ſi nollet, ut prius eſſet illi bonum meritum, non peccare; & poſtea juſtum præmium, non poſſe peccare, per hæc verba, ſatis luculenter deſignat electivam libertatem indifferentiæ in homine integro; ac proinde dum alibi frequenter aſſerit S. Doctor, talem eſſe comparatum hominem lapſum, cui adjaceat peccare ſi velit, non peccare ſi nolit, ut prius ſit illi bonum in viâ meritum, non peccare; & poſtea juſtum in patriâ præmium, non poſſe peccare, per verba ſimilia, ſatis perſpicue ſignificat electivam libertatem indifferentiæ in homine lapſo, quæ proinde ex S. Auguſtino perſeverat eadem pro utroque ſtatu, quoad electivum dominium ſuorum actuum.

IX. Serm. 131. cap. 6. num. 6. tom. 5. *Sunt enim homines ingrati gratiæ, multùm tribuentes inopi, ſauciæque naturæ. Verum eſt, magnas arbitrii liberi vires homo, cum conderetur, accepit; ſed peccando amiſit: in mortem lapſus eſt, infirmus factus eſt, a latronibus ſemivivus in via relictus eſt, in jumentum ſuum levavit eum tranſiens Samaritanus, quod interpretatur Cuſtos, ad ſtabulum adhuc perducitur. Quid extollitur? Adhuc curatur. Sed ſufficit, inquit, mihi, quod in baptiſmo accepi remiſſionem omnium peccatorum. Nunquid quia deleta eſt iniquitas, finita eſt infirmitas?*

Ergo ex S. Auguſtino Adam, peccando, non extinxit, ſed debilitavit electivam libertatem indifferentiæ, amiſſis magnis illis arbitrii liberi viribus, nulla ignorantia, nulla effrenata cupiditate, pro ſtatu naturæ integræ, afflictis: quas ut reſtau-

Digitized by Google

reſtauret, indiget Chriſti gratià medicinali; ac proinde ex S. Doctore, variatis dumtaxat circumſtantiis, perſeverat in homine lapſo, quoad ſubſtantiam, eadem electiva libertas indifferentiæ, quæ jam fuerat in homine integro.

X. Lib. 2. de Actis cum Fel. Manich. cap. 3. to. 8. *Rationalem creaturam, etiam ipſam factam, ſive in angelis, ſive in hominibus, accepiſſe liberum arbitrium, quo libero arbitrio, ſi Deo ſervire vellet, ſecundùm voluntatem, ac legem Dei, haberet apud eum æternam felicitatem; ſi autem legi ejus ſubdi noluiſſet, ſed poteſtate ſuà uſa, contra ejus feciſſet imperium, ſecundùm ejus juſtitiam pœnæ debitæ ſubjaceret... Eſſe autem liberum arbitrium, atque inde peccare quemque ſi velit, non peccare ſi nolit, non ſolùm in divinis ſcripturis, quas non intelligitis, ſed etiam in verbis ipſius Manichæi veſtri probo.*

Atqui poteſtas volendi atque nolendi, in libero arbitrio reſidens, quam S. Auguſtinus tuetur in angelo, & in homine integro, fuit electiva libertas indifferentiæ; quare poteſtas eadem volendi atque nolendi, in libero arbitrio reſidens, quam S. Auguſtinus pariter frequens tuetur in homine lapſo, eſt electiva libertas indifferentiæ.

XI. Lib. 22. de Civ. Dei cap. 30. num. 3. tom. 7. *Primum liberum arbitrium, quod homini datum eſt, quando primùm creatus eſt rectus, potuit non peccare; ſed potuit, & peccare: Hoc autem noviſſimum eo potentius erit, quo peccare non poterit... Servandi autem gradus erant divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo; noviſſimum, quo peccare non poſſet: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit iſta natura, cum peccare potuit, largiore gratia liberatur, cum ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit. Sicut enim prima immortalitas fuit, quam Adam perdidit, poſſe non mori; noviſſima erit, non poſſe mori: ita primum liberum arbitrium, poſſe non peccare; noviſſimum, non poſſe peccare;*

Ergo S. Auguſtinus duplicem tantùm hìc diſcriminat ſtatum arbitrii liberi, videlicet, in vià, & in patrià. Status arbitrii

Digitized by Google

bitrii liberi in patriâ ad poſſidendum præmium proportionatus erit non poſſe peccare. Status arbitrii liberi in viâ ad comparandum meritum neceſſarius reſpectu cum hominis integri, tum hominis lapſi eſt poſſe peccare, & poſſe non peccare; ſed poteſtas peccandi, & non peccandi ad comparandum meritum neceſſaria eſt electiva libertas indifferentiæ; quamobrem ex S. Doctore perſeverat in homine lapſo electiva libertas indifferentiæ, quæ jam fuit in homine integro.

XII. Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 2. num. 3. & 4. to. 10. *Ipſe ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui. Si volueris, conſervabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem, & aquam, ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei. Ecce apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, ſi non eſt liberum arbitrium?*

Ergo S. Auguſtinus demonſtraturus arbitrium liberum hominis lapſi, profert in medium Eccleſiaſtici locum c. 15., quo exprimitur electiva libertas hominis integri, per hoc, quod Deus reliquerit hominem integrum in manu conſilii ſui, cum ceteris adjunctis ad electivam libertatem indifferentiæ pertinentibus; ac proinde ex S. Auguſtino perſeverat in homine lapſo eadem electiva libertas indifferentiæ, quæ jam fuerat in homine integro.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino, loco citato, peccati merito amiſſa eſt non quæcumque, ſed magna illa libertas, qua homo integer fuerat a Deo ornatus, videlicet, libertas immunis ab ignorantia, ab effrenatis cupiditatibus, ceteriſque pœnalibus, quas experimur, calamitatibus. Hinc ad Marcellin. ep. 143. num. 6. to. 2. ſic mala recenſet animæ a ſtatu innocentiæ, Adam peccante, delapſæ. *Poſt peccatum in inferioribus corporibus ordinata regit corpus ſuum, non omni modo pro arbitrio, quia & caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ingemiſcimus gravati, & corpus quod corrum-*

Digitized by Google

pitur, aggravat animam, & quis omnia enarret carnalis infirmitatis incommoda?

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino liberum arbitrium, ornatum gratia ſanitatis, ad diligendum Deum faciliter, atque ſuaviter, primi peccati granditate perdidimus, quamvis beneficio gratiæ medicinalis reſtauretur in nobis, licet immeritis, talis jactura. Docet enim lib. 3. Oper. Imperf. num. 69. to. 10. quod, *Arbitrii liberi infirmitatem, non niſi per Chriſti gratiam, poteſt humana reparare natura.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino ſicuti libero arbitrio male utens homo, non ita ſe perdidit, ut extinxerit, ſed ita ut in deteriorem ſtatum ſeſe conjecerit, eadem ratione, non ita perdidit arbitrium liberum, ut extinxerit; ſed in deteriorem ſtatum detruſerit, ſubigendo ſe, & ipſum arbitrium liberum ſervituti peccati, ignorantiæ, & concupiſcentiæ. Hinc Lib. 14. de Civit. cap. 11. num. 1. to. 7. legitur: *Arbitrium voluntatis tum verè eſt liberum, cum vitiis, peccatiſque non ſervit. Tale datum eſt a Deo, quod amiſſum proprio vitio, niſi a quo dari potuit, reddi non poteſt.*

Ad quartum dicendum, quod S. Auguſtinus, loco allegato, affirmat contra Julianum negantem Originale peccatum, non permanere, poſt primi hominis lapſum, libertatem immunem a peccato originis: & loco hujuſmodi libertatis exortam eſſe ſervitutem peccati, quæ contrahitur in prima hominis animatione, à qua ſervitute non liberat, niſi Chriſti Domini gratia.

Ad quintum dicendum, quod ex S. Auguſtino, poſt Adæ peccatum, periit libertas immunis à rebelli concupiſcentia. Hæc autem à S. Auguſtino cum Apoſtolo paſſim *peccatum* nominatur, quatenus & eſt pœna præcedentis peccati, ab origine perpetrati, & eſt cauſa conſequentis peccati, à poſteris contrahendi, niſi reſiſtatur concupiſcentiæ, quod fieri non poteſt, niſi munere divinæ gratiæ. Sic enim proſequitur loco allegato: *A quo malo non liberat, niſi ille, cui non tantum dicimus, Dimitte nobis debita noſtra; verum etiam, Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo.*

Ad

Digitized by Google

Ad ſextum dicendum, quod ex S. Auguſtino, pro ſtatu naturæ lapſæ, periit libertas ab effrenatâ concupiſcentiâ immunis. Hæc autem rebellis concupiſcentia pœna eſt primi peccati, nulla ſollicitante concupiſcentia, a primo homine admiſſi, a qua vexatus Apoſtolus, impar extinguendis indeliberatis concupiſcentiæ motibus, exclamabat: *Non quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago.*

Ad ſeptimum dicendum, quod ex S. Auguſtino liberum nobis non eſt abſtinere ab indeliberata concupiſcentia, ſatis expreſſa per verba illa: *Quod nolo, hoc facio*: Hinc aliter homo primus peccavit, nulla effrenata cupiditate tentatus, quando ei liberum fuit ſine ulla difficultate abſtinere à peccato; aliter homo lapſus peccat, perdita libertate à ſoluta concupiſcentia, quando indiget Liberatoris auxilio ad pugnandum, atque contranitendum hoſtilibus concupiſcentiæ aggreſſionibus.

Ad octavum dicendum ſimiliter, quod ex S. Auguſtino Adam in ſtatu naturæ integræ inde erat beatus, quia ſubjectam habebat rationis imperio concupiſcentiam. At homo in ſtatu naturæ corruptæ inde eſt miſer, quod fuerit deturbatus à poteſtate dominativa ſupra ſibi ſubjectam concupiſcentiam, qua rebellante, ita conqueritur: *Non quod volo, ago; ſed quod odi, illud facio.*

Ad nonum dicendum, quod ex S. Auguſtino voluntas rectè faciendi in primo homine fuit libera ab ignorantia, & difficultate. At libertas hominis lapſi eſt obnoxia ignorantiæ, & difficultati, quæ peccandi conſuetudine vires accipiunt, & eò pertingunt, ut ignoretur eligendum bonum, vel ignorantia invincibili, quæ pugnat cum libertate phyſica, vel ignorantia vincibili, quæ pugnat cum libertate morali: Difficultas verò rectè operandi, conſequens peccatum originis, multoque magis diuturnam peccandi conſuetudinem, libertatem moralem excludit rectè faciendi, cum ſine maxima difficultate bonum propoſitum fieri non poſſit. Explicat hæc S. Doctor ſimilitudine ſatis idonea Lib. 83. Quæſt. quæſt. 60. to. 6. per hæc verba: *Hanc autem mortem peccato meruimus, quod peccatum erat ante omnimodo in libero arbitrio, cum in Paradiſo nullus*

Digitized by Google

dolor denegatæ delectationis voluntati bonæ homini reſiſtebat; ſicut nunc. Verbi gratia: Si quiſquam exiſtat, quem nunquam delectavit venatio, omnimodo liber eſt, utrum venari velit & nolit, nec eum cruciat quiſquis hoc prohibet. At ſi iſta libertate male uſus, venatus fuerit contra prohibentis imperium, paulatim ſubrepens delectatio mortificat animam, ut ſi abſtinere velit, abſque moleſtia, & ſine angore non poſſit, cum id ante tota ſanitate non ageret. Ergo aculeus mortis peccatum eſt, quia peccato facta eſt delectatio, quæ jam poſſit reſiſtere bonæ voluntati, & cum dolore prohiberi, quam delectationem, quia in defectu eſt animæ deterioris effectæ, jure mortem vocamus.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Liberum arbitrium defendendo præcipitant* Pelagiani, *ut de illo potius ad faciendam juſtitiam, quam de* Domini *adjutorio confidatur. Quis autem noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quippe periit per peccatum, ſed illa quæ in* Paradiſo *fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.* (b) *Liberum ergo arbitrium vos opprimitis, o* Pelagiani, *cui reddendo, vel adjuvando,* Dei *gratiam denegatis... Arbitrii liberi infirmitatem, nonniſi per* Chriſti *gratiam, poteſt humana reparare natura.* (c) *Vos dicitis, Liberum arbitrium in omnibus eſſe naturaliter, nec* Adæ *peccato perire potuiſſe, quod ſcripturarum omnium auctoritate firmatur:* Reſpondemus: *Hæc ſi quemadmodum oportet, non contra* Dei *gratiam diceretis, non conſenſum prævaricatoribus adhiberetis, ſed veſtrum errorem corrigeretis.* (d) *Nos igitur, peccato* Adæ, *arbitrium liberum de hominum natura periiſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo. Ad bene autem pieque vivendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis,* Dei *gratia fuerit liberata, & ad omne bonum, actionis, ſermonis, cogitationis, adjuta.* (e) *Unde enim fieri poteſt, ut adjutoria gratiæ* Dei *liberum arbitrium loco pellant, quod potius vitiis pul-*

pulſum, & nequitiæ ſubjugatum, ut in locum ſuum redeat, liberant? (f) *At illi Dei gratiam conantur auferre, quam neceſſe eſt, etiam reſtituta nobis ſtatûs priſtini libertate, quæramus... Audis reſtitui libertatem, & non periiſſe contendis, atque humana voluntate contentus, divinam non petis gratiam, quam libertas noſtra, etiam in ſtatu priſtino reſtituta, ſibi intelligit eſſe neceſſariam.* (g) *Cur ergo non credis libertatem bene agendi voluntate humana perire potuiſſe, nec redire poſſe, niſi divina voluntate, cum audias hominem dicentem: Non quod volo, facio bonum; ſed quod nolo malum, hoc ago.* (h) *Sed ſunt homines ingrati gratiæ, multùm tribuentes inopi, ſauciæque naturæ. Verum eſt, magnas arbitrii liberi vires homo cum conderetur, accepit; ſed peccando amiſit, in mortem lapſus eſt, infirmus factus eſt, à latronibus ſemivivus in via relictus eſt, in jumentum ſuum levavit eum tranſiens Samaritanus, quod interpretatur Cuſtos, ad ſtabulum adhuc perducitur. Quid extollitur? Adhuc curatur. Sed ſufficit, inquit, mihi quod in baptiſmo accepi remiſſionem omnium peccatorum: Nunquid quia deleta eſt iniquitas, finita eſt infirmitas?* (i) *At verò primùm liberum arbitrium, quod homini datum eſt, quando primum creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare. Hoc autem noviſſimum, eo potentius erit, quo peccare non poterit. Servandi autem gradus erant divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo; noviſſimum, quo peccare non poſſet; atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccavit iſta natura, cum peccare potuit, largiore gratia liberatur, cum ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non poſſit. Sicut enim prima immortalitas fuit, quam Adam perdidit, poſſe non mori, noviſſima erit, non poſſe mori; ita primum liberum arbitrium, poſſe non peccare; noviſſimum, non poſſe peccare.* (k) *Non autem poteſtas Deo defuit, talem facere hominem, qui peccare non poſſet; ſed maluit eum talem facere, cui adjaceret peccare ſi vellet, non peccare ſi nollet, hoc prohibens, illud præcipiens, ut prius eſſet illi bonum meritum non peccare, & poſtea juſtum præmium non poſſe pecca-*

Digitized by Google

peccare. Nam etiam tales ſanctos ſuos in fine facturus eſt, qui omnino peccare non poſſint. Tales habet quippe etiam nunc Angelos ſuos, quos in illo, ſic amamus, ut de nullo eorum, ne peccando fiat diabolus, formidemus, quod de nemine homine juſto, in hujus vitæ mortalitate, præſumimus: tales autem omnes futuros, in illius vitæ immortalitate, confidimus. (l) *Conſtat igitur rationalem creaturam, etiam ipſam factam, ſivè in Angelis, ſive in hominibus, accepiſſe liberum arbitrium, quo libero arbitrio, ſi Deo ſervire vellet, ſecundum voluntatem ac legem Dei, haberet apud eum æternam felicitatem. Si autem legi ejus ſubdi noluiſſet, ſed poteſtate ſuà uſa, contra ejus feciſſet imperium, ſecundum ejus juſtitiam, pœnæ debitæ ſubjaceret... Eſſe autem liberum arbitrium, atque inde peccare quemque ſi velit, non peccare ſi nolit, non ſolum in divinis ſcripturis, quas non intelligitis, ſed etiam in verbis ipſius Manichæi veſtri probo.* (m) *Siquidem Eccleſiaſt.* cap. 15. *dicitur: Ipſe ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui, ſi volueris, conſervabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors, & quodcumque voluerit dabitur ei. Ecce apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, ſi non eſt liberum arbitrium?* Hactenus ex S. Auguſtino.

AR-

(*a*) Lib. 1. contra duas epiſt. Pelag. cap. 2. num. 5. to. 10. (*b*) Lib. 3. Operis Imperf. num. 69. to. 10. (*c*) Lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 15. num. 29. to. 10. (*d*) Lib. 2. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 5. num. 9. to. 10. (*e*) Lib. 3. Oper. Imperf. num. 141. to. 10. (*f*) Lib. 6. Oper. Imperf. num. 11. to. 10. (*g*) Lib. 6. Oper. Imperf. num. 19. to. 10. (*h*) Serm. 131. cap. 6. num. 6. to. 5. (*i*) Lib. 22. de Civit. cap. 30. num. 3. to. 7. (*k*) Lib. de Contin. cap. 6. num. 16. to. 6. (*l*) Lib. 2. de Act. cum Fel. Manich. cap. 3. to. 8. (*m*) Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 2. num. 3. & 4. to. 10.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Utrum ex S. Auguſtino homo lapſus voluntarios ſuos actus agat ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate?

Videtur, quod ex S. Auguſtino homo lapſus, voluntarios ſuos actus agat ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate. Quandoquidem

I. LIb. 5. Oper. Imperf. num. 50. to. 10. *Notum eſt, quod homo primus voluntate malum egit, non neceſſitate; ſed iſte qui dicit: quod nolo malum hoc ago, neceſſitate ſe oſtendit malum agere, non voluntate; & flens miſerias ſuas, ridet definitiones tuas.*

II. Lib. 5. Oper. Imperf. num. 61. tom. 10. *Nec aliunde putandum eſt ſanari poſſe peccati neceſſitatem, niſi miſerante illo, cujus alto juſtoque judicio ſubſequuta eſt poſteros ejus, qui ſine ulla neceſſitate peccavit.*

III. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 105. to. 10. *Multum erras, qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt.*

IV. Lib. de Perf. Juſt. contra Cæleſt. cap. 4. num. 9. to. 10. *Per arbitrii libertatem factum eſt, ut homo eſſet cum peccato; ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate fecit neceſſitatem: Unde ad Deum fides clamat, de neceſſitatibus meis educ me. Sub quibus poſiti, vel non poſſumus, quod volumus intelligere; vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere; Nam & ipſa libertas à Liberatore promittitur: Si vos, inquit, Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura.. Ipſa enim ſanitas eſt plena libertas, quæ non periiſſet, ſi bona permanſiſſet voluntas. Quia verò peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua ſicut neceſſe eſt* per-

Digitized by Google

permaneat benè vivendi voluntas; ita ſit etiam benè vivendi, & nunquam peccandi voluntaria, felixque neceſſitas.

V. Lib. de Perfect. Juſt. contra Cæleſt. cap. 6. num. 13. to. 10. *Ideo eſſe culpam hominis, quod non ſit ſine peccato, quia ſola hominis voluntate factum eſt, ut ad iſtam neceſſitatem veniret, quam ſola hominis voluntas ſuperare non poſſit.*

VI. Lib. contra Fortun. Manich. diſp. 2. num. 22. to. 8. *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuiſſe dico, qui primus formatus eſt. Ille ſic factus eſt, ut nihil omninò voluntati ejus reſiſteret, ſi vellet Dei præcepta ſervare. Poſtquam autem libera ipſe voluntate peccavit, nos in neceſſitatem præcipitati ſumus, qui ab ejus ſtirpe deſcendimus.*

VII. Lib. de Nat. & Grat. cap. 66. num. 79. to. 10. *Quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, ſit quædam peccandi neceſſitas, audiat homo, atque, ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere: De neceſſitatibus meis educ me.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino homo lapſus voluntarios ſuos actus non agit ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate; hujuſmodì enim fatalem neceſſitatem à libertate hominis lapſi ſic S. Doctor procul eliminat.

I. Lib. de Spir. & Litt. cap. 31. num. 53. & 54. to. 10. *Hoc quippe in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit... Vide nunc, utrum quiſque credat, ſi noluerit, aut non credat, ſi voluerit? Quod ſi abſurdum eſt: Quid enim eſt credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? conſenſio autem utique volentis eſt, profectò fides in poteſtate eſt, ſed ſicut Apoſtolus dicit: Non eſt poteſtas niſi à Deo... ſed cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur;*

Ergo ex S. Auguſtino fides non eſt ſub neceſſitate credendi, ſed in poteſtate credentis; ſic autem eſt in poteſtate credentis, ut ſi voluerit, credat; ſi noluerit, non credat; adeoque ſub gratiâ fidem ſuaſivâ eſt in hominis poteſtate credere, vel non credere, prout ſibi libuerit. Hæc autem pugnant cum

eo

Digitized by Google

eo quod homo lapſus credat ſub irreſiſtibili credendi neceſſitate, quod eſt lumine naturæ notum; ac proinde ex S. Auguſtino homo lapſus non agit actus ſuos voluntarios ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate.

II. Lib. de Nat. & Grat. cap. 65. num. 78. tom. 10. Objectam ſibi a Pelagio ſententiam S. Hieronymi Presbyteri lib. 2. adv. Jovinian. his verbis amplectitur S. Doctor: *Item quod ait a memorato dictum eſſe Presbytero: Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt. Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam? Sed in recte faciendo, ideo nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt caritatis.*

At vero, ſi homo lapſus voluntarios ſuos actus agit ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate, tum ad virtutem, tum ad vitia trahimur neceſſitate. Sub hac autem exercendæ virtutis irreſiſtibili neceſſitate nullum eſt hominis meritum ad coronam; hinc ex S. Auguſtino homo lapſus non agit actus ſuos voluntarios ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate.

III. Lib. 11. de Geneſi ad Lit. cap. 7. num. 9. to. 3. *Ecce nos concedimus meliorem eſſe naturam, quæ omnino peccare nolit, concedant & ipſi non eſſe malam naturam, quæ ſic facta eſt, ut poſſet non peccare, ſi nollet: & juſtam eſſe ſententiam, quâ punita eſt quæ voluntate, non neceſſitate peccavit. Sicut ergo ratio vera docet meliorem eſſe naturam, quam prorſus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet, etiam illam bonam eſſe, quæ habet in poteſtate illicitam delectationem, ſi extiterit, ita cohibere, ut non ſolùm de ceteris licitis, rècteque factis, verum etiam de ipſius pravæ delectationis cohibitione lætetur;*

Ergo ex S. Auguſtino in poteſtate noſtræ naturæ eſt qualemcunque illicitam delectationem, ſi extiterit, cohibere; alioquin pœna juſta non erit, ſi neceſſitate, non autem voluntate, ab omni irreſiſtibili neceſſitate liberâ, peccaverimus; ac proinde ex S. Doctore homo lapſus non elicit actus ſuos voluntarios ſub irreſiſtibili illos eliciendi neceſſitate.

Digitized by Google

IV. Lib. 5. Oper. Imperf. num. 42. tom. 10. *Malæ autem voluntatis ſuæ unuſquiſque auctor eſt, quia malum vult: ſed cum quæritur, quare homo poſſit habere malam voluntatem, quamvis ut habeat non ſit neceſſe, non origo quæritur voluntatis, ſed origo ipſius poſſibilitatis*;

Ergo ex S. Auguſtino unuſquiſque voluntatem malam habere poteſt, at nullo modo neceſſe eſt ut habeat quis voluntatem malam: & hac de cauſa unuſquiſque auctor eſt voluntatis ſuæ malæ. Hinc è contrariò brutum animal neque eſt, neque dicitur auctor appetitûs ſui, quia ex irreſiſtibili ſibi neceſſitate in appetitus erumpit conſentaneos naturæ ſuæ; ac proinde ex S. Auguſtino homo lapſus non agit actus ſuos voluntarios ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate.

V. Lib. contra Secundin. Manich. cap. 19. tom. 8. *Si autem cogitur conſentire, ita ut non ſit in ejus poteſtate, aliter facere, non ergo, ut dicebas, voluntate peccat, quando non voluntate conſentit*;

Ergo ex S. Auguſtino ad hoc ut voluntate conſentiat anima & peccet, omnino requiritur, ut dum conſentit, ita conſentiat, ut in vera & ſolida animæ poteſtate ſit, aliter agere, non peccare, non conſentire, reſiſtere cuicumque cauſæ applicanti animam ad conſenſum: Id autem non cohæret cum neceſſitate irreſiſtibili ad conſentiendum; ac proinde ex Sancto Doctore homo lapſus non agit actus ſuos voluntarios ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate.

VI. Lib. 3. de Lib. arb. cap. 1. num. 2. tom. 1. ita comparat, & diſcriminat motum animi, a motu lapidis. *Verumtamen in eo diſſimilis, quod in poteſtate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius: animus vero, dum non vult, non ita movetur, ut ſuperioribus deſertis, inferiora deligat*;

Ergo ex S. Auguſtino anima, cum peccando a ſupremo bono increato fertur in bonum creatum inferius, cohibere poteſt pravum hunc voluntatis motum; ac proinde poteſt reſiſtere cujuſcumque ponderis, & gravitatis momento, ad motum peccaminoſum animam impellenti: quod deſcendens lapis non

Digitized by Google

non poteſt; adeoque ex S. Auguſtino homo lapſus non agit actus ſuos voluntarios ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate.

VII. Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 1. num. 3. to. 1. *Motus quo huc aut illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus, cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem voluntatis.*

Jam vero: Si homo lapſus agit actus ſuos voluntarios ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate, motus voluntarius honeſtus, quo huc in bonum, & motus voluntarius inhoneſtus, quo illuc in malum voluntas noſtra convertitur, non eſt in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus, cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſt, cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem verſatilis pro libito, nullique appetibili affixæ, nec affigendæ voluntatis; adeòque ex S. Auguſtino homo lapſus non agit actus ſuos voluntarios ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate.

VIII. Epiſt. 140. ad Honorat. cap. 2. num. 3. to. 2. *Poſtedquam venerit in ætatem, qua in eo rationis uſus evigilet, poterit adjutà divinitus voluntate, eligere alteram vitam, cujus in mente gaudium eſt, cujus interna atque æterna felicitas. Ineſt quippe homini anima rationalis, ſed intereſt ejuſdem rationis uſu, quònam potius voluntatem convertat, utrum ad bona exterioris & inferioris, an ad bona interioris ſuperioriſque naturæ, ideſt, utrum fruatur corpore & tempore, an ut fruatur Divinitate atque æternitate. In quadam quippe medietate poſita eſt, infra ſe habens corporalem creaturam, ſupra ſe autem ſui, & corporis Creatorem;*

Ergo ex S. Auguſtino homo rationis particeps, propoſità ſibi duplici vità, ſenſuali & ſpirituali, duplici bonorum genere, exteriorum & interiorum, inferiorum & ſuperiorum, corporalium & ſpiritualium, temporalium atquè æternorum, veram, ſolidam, genuinam, non autem fucatam, umbratilem, commentitiam poteſtatem habet, utrumlibet eligendi pro libito, ad utrumlibet voluntatem ſuam convertendi, prout

Digitized by Google

ſibi libuerit. Hæc autem minimè cum eo conſentiunt, quin maximè ab eo diſcrepant, quod homo lapſus voluntarios ſuos actus agat ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate; quare ex S. Auguſtino homo lapſus actus ſuos voluntarios non agit ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate.

IX. Lib. de Duab. Animab. cap. 13. num. 19. tom. 8. *Cur non magis hoc ſignum eſt unius animæ, quæ liberè illà voluntate huc & huc ferri, hinc atque hinc referri poteſt? Nam, mihi cum accidit, unum me eſſe ſentio, utrumque conſiderantem, alterutrum eligentem.*

X. Lib. 2. de Act. cum Fel. Manich. cap. 4. tom. 8. *Audi ergo de libero arbitrio ipſum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipſe feciſti, audi dicentem. Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Cum ergo dicit, aut hoc facite, aut illud facite, poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim, niſi Deus facere arborem poteſt; ſed habet unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.*

XI. Lib. 2. contra Lit. Petil. cap. 84. num. 186. to. 9. *Si tibi proponam quæſtionem: quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio? Fortaſſis eam difficilè ſoluturus es: quomodo enim attrahit, ſi dimittit, ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum eſt; ſed intellectu hoc penetrare, pauci valent.*

XII. Epiſt. ad Vital. 217. cap. 5. num. 16. & cap. 6. num. 23. tom. 2. *Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, ſua id facere voluntate, ac libero arbitrio... Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate? Cum potius illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnant Dei gratiam, qua vere ad bona eligenda, & agenda ſit liberum.*

XIII. In Pſal. 144. num. 8. tom. 4. *Laus Dei, in via te conſtituens, oſtendere tibi debet, & quid diligas, & quid timeas: & quid appetas, & quid fugias: quid eligas, & quid*

Digitized by Google

quid reiicias. Tempus electionis nunc eſt, acceptionis poſtea erit.

XIV. In Pſal. 51. num. 10. to. 4. *Benignitas ante te: iniquitas ante te. Compara, & elige;*

Ergo ex S. Auguſtino anima ſuorum actuum arbitra, objecta ſibi ſpecie honeſti, atque inhoneſti, utrumque conſiderat æquabiliter, alterutrum pro libito eligit. Habet enim in ratione judicium comparativum virtutis cum vitio, & in voluntate dominium electivum unius præ alio. Tempus enim præſentis vitæ, tempus eſt electionis: & dum homo eſt in via, in ejus eſt poſitum poteſtate, quid eligat, quid rejiciat. Hinc anima, libera voluntate prædita, huc & huc fertur, hinc atque hinc ſciens prudenſque refertur. Quin etiam Deus ipſe, gratiâ ſuâ efficaci, ita perducit ad fidem homines, ut ſimul dimittat, ut quis quod voluerit eligat, ſive fidem, ſive infidelitatem: ſiquidem beneficio divinæ gratiæ arbitrium noſtrum ad eligenda vera bona fit liberum. Cum autem hujuſmodi S. Doctoris elocutiones, adeo ſibi familiares & uſitatæ, conciliari nequeant cum eo, quod homo lapſus voluntarios ſuos actus agat ſub irreſiſtibili illos agendi neceſſitate, dogma oppoſitum huic errori ex S. Auguſtino conſequitur neceſſariò.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino homo lapſus non voluntate, ſed neceſſitate experitur in ſe indeliberatos concupiſcentiæ motus, ſignificatos per illa Apoſtoli verba: *Quod nolo malum, hoc ago.* Hujuſmodi autem rebellis concupiſcentiæ motus, cum ad peccandum alliciant animum, iiſque obſiſtere non ſine multa valeamus difficultate, ſunt moralis quædam neceſſitas ad peccandum. At homo primus vacuus erat ab hujuſmodi neceſſitatibus in ſtatu naturæ integræ, quibus nos ſubjacemus in ſtatu naturæ lapſæ.

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino non aliunde ſanari poteſt moralis neceſſitas peccati, poſita in rebelli concupiſcentia, perpetua peccati illecebra, niſi miſerante illo, cujus alto, juſtoque judicio, hæc moralis neceſſitas ſubſecuta eſt poſteros Adæ, qui ſine ulla neceſſitate, ne morali quidem, peccavit.

Ad tertium dicendum ex S. Auguſtino multùm erraſſe Julianum,

num, qui negando pœnalem concupiſcentiam, moralem cauſam peccati, vel neceſſitatem nullam putabat eſſe peccandi, vel eam non intelligebat illius primi peccati eſſe pœnam, quod a primo homine, nulla neceſſitate, ne morali quidem, commiſſum eſt.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino primum peccatum pœnalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate immuni ab hujuſmodi vitioſitate, fecit moralem neceſſitatem peccati, ex pœnali ignorantia & concupiſcentia proficiſcentem, ſub quibus poſiti, vel non poſſumus, quod volumus intelligere, propter ignorantiam; vel quod intellexerimus volumus, nec valemus facile implere, propter concupiſcentiam: quia enim peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura, quidem, ſed moralis neceſſitas, donec in Patriâ, tota ſanetur infirmitas.

Ad quintum dicendum ex S. Auguſtino ideo eſſe culpam hominis, quod non ſit ſine peccato, quia ſolâ primi hominis voluntate factum eſt, ut ad iſtam moralem peccandi neceſſitatem veniret, quam ſola hominis lapſi voluntas, abſque divina gratia, ſuperare non poteſt.

Ad ſextum dicendum ex S. Auguſtino liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuiſſe, qui primus formatus eſt. Ille ſic factus eſt, ut nihil omnino voluntati ejus reſiſteret, ſi vellet Dei præcepta ſervare. Poſtquam autem libera ille voluntate peccavit, nos in moralem peccandi neceſſitatem, ignorantia & concupiſcentia impellentibus, præcipitati ſumus, qui ab ejus ſtirpe deſcendimus. Id autem exemplo ſatis idoneo S. Doctor confirmat ſequentibus verbis. *Poteſt autem unuſquiſque noſtrûm, mediocri conſideratione, invenire verum eſſe, quod dico. Hodie namque in noſtris actionibus, antequam conſuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid, vel non faciendi. Cum autem iſta libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animam pernicioſa dulcedo & voluptas, eâdem ipsâ ſuâ conſuetudine ſic implicatur, ut poſtea vincere non poſſit, quod ſibi ipſa peccando fabricata eſt. Videmus multos jurare nolle; ſed quia jam conſuetudinem lingua*

gua tenuit, non poſſe refrenare, quin ea exeant de ore ipſorum, quæ non poſſumus dicere, ad mali ſtirpem non pertinere.

Ad ſeptimum dicendum, quod ex S. Auguſtino ex vitiis naturæ corruptæ, non ex conditione naturæ integræ, orta eſt quædam moralis peccandi neceſſitas, atque ut eadem neceſſitas non ſit, divinum auxilium eſt implorandum cum regio Pſalte: *De neceſſitatibus meis educ me.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit. Vide nunc, utrum quiſque credat, ſi noluerit: aut non credat, ſi voluerit? Quod ſi abſurdum eſt: Quid enim eſt credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? Conſenſio autem utique volentis eſt, profecto fides in poteſtate eſt: ſed ſicut Apoſtolus dicit: Non eſt poteſtas niſi a Deo; ſed cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur.* (b) *Quod enim a Hieronymo dictum eſt: Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin ubi neceſſitas, nec corona eſt. Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam? Sed in recte faciendo, ideo nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia libertas eſt caritatis.* (c) *Malæ autem voluntatis ſuæ unuſquiſque auctor eſt, quia malum vult, ſed cum quæritur: Quare homo poſſit habere malam voluntatem, quamvis, ut habeat non ſit neceſſe, non origo quæritur voluntatis, ſed origo ipſius poſſibilitatis.* (d) *Concedant ergo non eſſe malam naturam, quæ ſic facta eſt, ut poſſet non peccare ſi nollet, & juſtam eſſe ſententiam, qua punita eſt, quæ voluntate, non neceſſitate peccavit. Sicut ergo ratio vera docet meliorem eſſe naturam, quam prorſus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet etiam illam bonam eſſe, quæ habet in poteſtate illicitam delectationem, ſi extiterit, ita cohibere, ut non ſolum de ceteris licitis recteque factis, verum etiam de ipſius pravæ delectationis cohibitione lætetur.* (e) *Si enim cogitur con-*

conſentire, ita ut non ſit in ejus poteſtate aliter facere, non ergo voluntate peccat, quando non voluntate conſentit. (f) *Siquidem in eo eſt diſſimilis motus animi a motu lapidis, quod in poteſtate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius: animus vero dum non vult, non ita movetur, ut ſuperioribus deſertis, inferiora deligat.* (g) *Motus ergo quo huc aut illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem voluntatis.* (h) *Ubi enim pervenerit in ætatem, qua in eo rationis uſus evigilet, poterit adjuta divinitùs voluntate, eligere alteram vitam, cujus in mente gaudium eſt, cujus interna atque æterna felicitas. Ineſt quippe homini anima rationalis, ſed intereſt ejuſdem rationis uſu; quònam potius voluntatem convertat, utrum ad bona exterioris & inferioris, an ad bona interioris ſuperioriſque naturæ, ideſt, utrum fruatur corpore & tempore, an ut fruatur Divinitate atque æternitate. In quadam quippe medietate poſita eſt, infra ſe habens corporalem creaturam, ſupra ſe autem ſui, & corporis Creatorem.* (i) *Hoc autem ſignum eſt unius animæ, quæ liberà illà voluntate huc & huc ferri, hinc atque hinc referri poteſt; nam mihi, cum accidit, unum me eſſe ſentio, utrumque conſiderantem, alterutrum eligentem.* (k) *Cum ergo audis dicentem Dominum: aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum; cum ergo dicit aut hoc facite, aut illud facite, poteſtatem indicat, non naturam. Habet enim unuſquiſque in voluntate, aut eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.* (l) *Nunc autem ſi tibi proponam quæſtionem: quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio? Fortaſſis eam difficile ſoluturus es: Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum eſt; ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* (m) *Scimus enim, qui proprio corde credunt in Dominum, ſua id facere voluntate, & libero arbitrio. Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui con-*

confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate? Cum potius illi oppugnent Dei gratiam, quá verè ad bona eligenda, & agenda ſit liberum. (n) *Quare laus Dei in via te conſtituens oſtendere tibi debet, & quid diligas, & quid timeas; & quid appetas, & quid fugias; & quid eligas, & quid reiicias: tempus electionis nunc eſt, acceptionis poſtea erit.* (o) *Benignitas ergo ante te: iniquitas ante te. Compara, & elige:* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. de Spir. & Lit. cap. 31. num. 53. & 54. to. 10. (*b*) Lib. de Nat. & Grat. cap. 65. num. 78. to. 10. (*c*) Lib. 5. Oper. Imperf. num. 42. to. 10. (*d*) Lib. 11. de Geneſ. ad Litt. cap. 7. num. 9. to. 3. (*e*) Lib. contr. Secund. Manich. cap. 19. to. 8. (*f*) Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 1. num. 2. to. 1. (*g*) Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 1. num. 3. to. 1. (*h*) Epiſt. 140. ad Honorat. cap. 2. num. 3. to. 2. (*i*) Lib. de duab. Animab. cap. 13. num. 19. tom. 8. (*k*) Lib. 2. de Actis cum Fel. Manich. cap. 4. to. 8. (*l*) Lib. 2. contra Lit. Petil. cap. 84. num. 186. to. 9. (*m*) Ep. 217. ad Vital. cap. 5. num. 16. & cap. 6. num. 23. to. 2. (*n*) In Pſal. 144. num. 8. to. 4. (o) In Pſal. 51. num. 10. to. 4.

ARTICULUS III.

Utrum ex S. Auguſtino ad meritum, & demeritum hominis lapſi ſit neceſſaria libertas immunis ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate?

Videtur, quod ex S. Auguſtino ad meritum, & demeritum hominis lapſi non ſit neceſſaria libertas immunis ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate. Quandoquidem

I. Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 18. num. 51. to. 1. *Sunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt; nam unde ſunt illæ voces: non enim quod volo, facio bonum; ſed quod odi malum, hoc ago?*

II. Lib. de Perf. Juſt. contra Cæleſt. cap. 6. num. 15. to. 10.

Digitized by Google

Peccatum eſt autem, cum vel non eſt caritas quæ eſſe debet, vel minor eſt quàm debet, ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit; quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit.

III. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 105. to. 10. *Cum igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt; undè ab eis liberum eſt abſtinere: & peccatis de ignorantiæ, vel affectionum neceſſitate venientibus, quæ jam non ſolùm peccata, verum etiam pœnæ ſunt peccatorum, plenum ſit genus humanum, quomodo dicis definitionibus noſtris peccatum nec in moribus inveniri?*

IV. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 106. to. 10. *Neceſſe eſt ut peccet, a quo ignoratur juſtitia: nunquid ideo cum juſtitiam cognoverit, non ſunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ neceſſitate commiſit?.... Non eſt igitur impunitatis ſecuritas in neceſſitate peccandi.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino ad meritum, & demeritum hominis lapſi neceſſaria eſt libertas immunis ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate. Sic enim S. Doctor ex ratione meriti atque demeriti, ex præmii atque ſupplicii æquitate invictiſſimè infert, atque concludit neceſſariam eſſe in homine lapſo libertatem immunem ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate.

I. Lib. de duab. Animab. cap. 12. num. 17. to. 8. *Dicere animas, & eſſe malas, & nihil peccare, plenum eſt dementiæ: dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt: & peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ non voluntate faciunt, ideſt, ſi libero & ad faciendum, & non faciendum motu animi carent, ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccatum earum tenere non poſſumus;*

Ergo ex S. Auguſtino ad rationem peccati, ac proinde ad poe-

pœnæ meritum pertinet, ut anima, ita libero ad faciendum & non faciendum motu animi potiatur, ut poteſtatem habeat abſtinendi ab opere malo; adeoque ex S. Doctore ad malum pœnæ meritum hominis lapſi neceſſaria eſt libertas immunis ab omni irreſiſtibili malè agendi neceſſitate.

II. Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 18. num. 50. to. 1. *Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei ceditur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem? Caveri igitur poteſt*;

Ergo ex S. Auguſtino ſub quacumque cauſa voluntatis malæ, quæ talis ſit indolis & naturæ, ut ad illius præſentiam reſiſti minimè poſſit, nullum prorſus peccatum eſt; ac proinde ſub hujuſmodi cauſa irreſiſtibili nullum eſt pœnæ meritum, quod neceſſariò conſequitur ex peccato; adeoque ex S. Doctore ad pœnæ meritum hominis lapſi neceſſaria eſt libertas immunis ab omni irreſiſtibili malè agendi neceſſitate.

III. Lib. de duab. animab. cap. 11. num. 15. to. 8. *Neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet; aut id non faciat, quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum?*

Ergo ex S. Auguſtino ipſomet rationis, & naturæ lumine omnibus prorſus hominibus perſuaſum eſt, neminem eſſe ſupplicio dignum, qui non faciat opus præceptum, quoties illud facere minimè poteſt; ſed ſub irreſiſtibili peccandi neceſſitate homo lapſus opus præceptum facere minimè poteſt; quare ex S. Auguſtino ſub irreſiſtibili peccandi neceſſitate homo lapſus ſupplicio dignus minimè eſt; adeoque nullum contrahit ſupplicii meritum; ac proinde ex S. Auguſtino ad contrahendum ſupplicii meritum neceſſaria eſt in homine lapſo libertas immunis ab omni irreſiſtibili peccandi neceſſitate.

Digitized by Google

IV. Lib. 22. contra Fauſt. Manich. cap. 98. to. 8. Ad hæc Fauſti verba: *Sed in hac ſerie ſæculorum, jam malis permixta, atque concreta non obtemperavit præceptis*: Sic Auguſtinus reſpondet: *Si propria voluntate, vera culpa, & juſta pœna; ſed jam ſi voluntas eſt rea, nulla eſt ad peccandum natura contraria... Si autem ab hoſte oppreſſa, quò miſſa eſt, ſi alieno malo ſuperata, cui reſiſtere non valuerat, iniqua pœna, & magna crudelitas*;

Ergo ex S. Auguſtino pœnâ prorſus iniquâ, & magnâ crudelitate puniretur anima, ſi hac de cauſa non obtemperaret præceptis, quia ſibi intrinſecùs inhærentem haberet peccati cauſam, cui reſiſtere minimè poſſet; ac proindè ex S. Auguſtino ad juſtæ pœnæ meritum pertinet, ut libertas hominis lapſi ſit prorſus immunis ab omni irreſiſtibili peccandi neceſſitate.

V. Lib. de Nat. Boni contrà Manich. cap. 42. circa finem to. 8. *Quod vultis, eligite: Utrum neceſſitate compulſa, ut diligeret tenebras; an voluntate ſeducta? Si neceſſitate? Quare damnatur? Si voluntate? Quare Dei natura in tantâ iniquitate deprehenditur?*

Ergo ex S. Auguſtino anima, quæ neceſſitate compulſa dilexit peccati tenebras, damnatur injuſtè; adeoque ex S. Auguſtino ad juſtæ pœnæ meritum pertinet, ut humana libertas immunis ſit ab omni irreſiſtibili peccandi neceſſitate.

VI. Lib. 22. contra Fauſt. Manich. cap. 22. ultra medium to. 8. *Si reſiſtere non valuerunt, innocentes damnantur; ſi autem valuerunt, nec voluerunt, quid adhuc tam fabuloſè inducitis naturam mali, cum à propria voluntate ſit origo peccati? Hoc enim certe ſuâ culpâ, non vi alienâ fecerunt, quod cum poſſent malo reſiſtere, noluerunt. Si ergo noluerunt, voluntatis crimen eſt, non neceſſitatis*;

Ergo ex S. Auguſtino, ſi animæ non valuerunt intrinſeco ſibi, atque intimo principio, & cauſæ peccati reſiſtere, ut prætéritæ jamdiu ætatis Manichæi delirabant, & noſtræ adhuc ætatis Semimanichæi delirant, innocentes damnantur; ac proindè ex S. Auguſtino ad juſtæ pœnæ meritum pertinet, ut noſtra libertas immunis ſit ab omni irreſiſtibili peccandi neceſſitate.

Digitized by Google

VII. Lib. 12. de Civit. Dei cap. 8. to. 7. *Scio in quo ſit mala voluntas, id in eo fieri, quòd ſi nollet, non fieret: & ideo non neceſſarios, ſed voluntarios defectus juſta pœna conſequitur;*

Ergo ex S. Auguſtino, ſi peccata hominum non eſſent voluntaria, ſed neceſſaria, pœna, quæ peccatum conſequitur, non eſſet juſta pœna, ſed injuſta; quare ex S. Auguſtino, ut pœna, quæ peccatum conſequitur, juſta ſit, neceſſe eſt, ut neceſſaria non ſint peccata hominum; adeoque neceſſe eſt, ut non fiant ſub irreſiſtibili peccandi neceſſitate; ac proindè ex S. Auguſtino ad juſtæ pœnæ meritum pertinet, ut humana libertas immunis ſit ab omni irreſiſtibili peccandi neceſſitate.

VIII. Lib. 2. contra Fauſtum Manich. cap. 5. to. 8. *Nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè, vel malè vivitur, propter juſtum judicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus;*

Ergo ex S. Auguſtino liberum voluntatis arbitrium, quo vel bene, vel male vivitur, ab omni fatalis neceſſitatis vinculo, cui reſiſti non poteſt, eſt vindicandum, ut Dei judicium de bonis, maliſque hominum meritis, debito præmio ac ſupplicio excipiendis, non ſit iniquum, ſed juſtum; ac proinde ex S. Auguſtino ad bonum, malumque meritum pertinet, ut noſtra libertas immunis ſit ab omni irreſiſtibili tum benè, tum malè agendi neceſſitate.

IX. Lib. 5. de Civ. Dei cap. 1. to. 7. *Quale deinde judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cæleſtis neceſſitas adhibetur?*

Ergo ex S. Auguſtino nullus locus juſto judicio Dei de bonis, maliſque hominum meritis relinquitur, ſi fatali ſiderum neceſſitate premuntur, cui reſiſtere non ſint pares; adeoque ex S. Auguſtino ad bonum, malumque meritum pertinet, ut noſtra libertas immunis ſit ab omni irreſiſtibili tum benè, tum malè agendi neceſſitate.

X. Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 25. num. 74. to. 1. *Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum: quid autem quiſque vel ſumat, vel reſpuat, eſt in poteſtate; ſed*

quo

quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt. Fatendum eſt, & ex ſuperioribus, & ex inferioribus viſis animum tangi, ut rationalis ſubſtantia ex utroque ſumat quod voluerit: & ex merito ſumendi, vel miſeria, vel beatitas ſubſequatur.

Ergo ex S. Auguſtino, propoſito bono & malo, ad bonum malumque meritum, hoc miſeriæ, illud beatitatis, pertinet poteſtas omninò libera voluntatis ſumendi vel reſpuendi pro libito alterutrum, ſive bonum, ſive malum; quare ex S. Auguſtino ad meritum, & demeritum hominis lapſi neceſſaria eſt libertas immunis ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate.

XI. Lib. 5. Operis Imperf. num. 61. to. 10. *Non aliter eſſet virtus in nobis, niſi voluntatem malam ſic non haberemus, ut habere poſſemus; ſed pro hujus minoris virtutis merito, accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem ſic non haberemus, ut nec habere poſſemus*: O *deſideranda neceſſitas!*

Ergo ex S. Auguſtino, dum ſumus in vià, ad habendum virtutis meritum neceſſe eſt, ſic nos non habere voluntatem malam, ut eam pro libito habere poſſimus; ſed ſub irreſiſtibili benè agendi neceſſitate, ſic non habemus voluntatem malam, ut nec eam pro libito habere poſſimus; quare ex S. Auguſtino, dum ſumus in vià, ad habendum virtutis meritum neceſſe eſt, nos non habere irreſiſtibilem benè agendi neceſſitatem.

XII. Lib. contra Fortun. Manich. Diſp. 1. num. 15. to. 8. *Animæ rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium, ſic enim poſſet habere meritum, ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus; cum ergo oporteat non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, oportebat ut Deus animæ daret liberum arbitrium;*

Ergo ex S. Auguſtino ad juſti meritum præmii neceſſe eſt, ut homo lapſus non fiat bonus neceſſitate, ſed voluntate libera ab irreſiſtibili ſibi bonitatis neceſſitate; adeoque ex S. Auguſtino ad meritum hominis lapſi neceſſe eſt, ut humana libertas non ſit affecta irreſiſtibili bonum agendi neceſſitate.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino indeliberata concupiſcentia, per voces illas Apoſtoli ſignificata: *Non enim*

Digitized by Google

enim quod volo, facio bonum; ſed quod odi malum, hoc ago: licet neceſſaria ſit pœna primi peccati, rationiſque imperium prævertat, adhuc tamen ſuàmet turpitudine eſt improbanda, quod Julianus acerrimus Pelagii ſectator negabat, affirmans non eſſe improbandam concupiſcentiam, utpote quæ, ipſo judice, ingenuum eſſet benè inſtitutæ naturæ ornamentum.

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino præterita primi parentis voluntas fecit, ut ſit in nobis peccatum illud, quod voluntate vitari non poteſt, mala videlicet concupiſcentia, quæ peccatum dicitur ab Apoſtolo, tum quia eſt pœna, tum quia eſt cauſa peccati, pœna prioris, poſteriorum cauſa, ut frequenter animadvertit S. Auguſtinus adverſus Pelagianos laudatores concupiſcentiæ. Quod ſi ſermo fuerit de peccato propriè tali, a propria voluntate commiſſo, dicendum quod ex S. Auguſtino præterita mala voluntas hominis cujuſque fecit, ut peccatum diuturnâ conſuetudine roboratum, moraliter, & ſine magna difficultate vitari non poſſit, ad quam ſuperandam opus eſt gratiâ Dei, quæ denegatur ſuperbis, conceditur autem humilibus. Hinc ſtatim addit Auguſtinus loco citato: *Si autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari poteſt, non quando voluntas ſuperba laudatur, ſed quando humilis adjuvatur.*

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino plenum eſt genus humanum peccatis de ignorantiæ, vel affectionum venientibus neceſsitate, non quidem de phyſica peccandi neceſſitate, quæ nullâ ratione ſuperari valeat; ſed de morali dumtaxat, quæ ſine maxima quandoque difficultate debellari non poteſt, a quibus peccatis, quæ pœnæ etiam ſunt peccatorum, liberum non eſt nobis moraliter, ſine ſumma quandòque difficultate, abſtinere. Siquidem objectam ſententiam hæc verba S. Doctoris immediatè præcedunt: *Cur ergo non credis tantùm ſaltem valuiſſe illud primi hominis ineffabiliter grande peccatum, ut eo vitiaretur humana natura univerſa, quantùm valet nunc in homine uno ſecunda natura? Sic enim a doctis appellari conſuetudinem putaſti.*

Ad

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino non eſt impunitatis ſecuritas in morali neceſsitate peccandi proficiſcente ex ignorantia vincibili, quæ ſuperari atque excludi poteſt, ac debet, quamvis non ſine multo labore ſuperetur & excludatur, quod pleniùs explicat S. Doctor numero ſuperiori verbis ſequentibus. *Deinde cogitare te exiſtimo, quid appetendum, quid vitandum ſit in agenda vita, quanto labore diſcatur: qui autem hoc neſciunt, ipsà boni appetendi, maliquc vitandi ignorantià, patiuntur peccandi neceſſitatem. Neceſſe eſt enim ut peccet, qui neſciendo quid facere debeat, quod non debet facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta juventutis, & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum, ſi non imputaret Deus juſtus, non ea ſibi dimitti poſceret homo fidelis.*

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Dicere animas, & eſſe malas, & nihil peccare, plenum eſt dementiæ: dicere autem peccare ſine voluntate, magnum deliramentum eſt: & peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ non voluntate faciunt, ideſt, ſi libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent, ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccatum earum tenere non poſſumus.* (b) *Quæcumque igitur cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur; ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo poteſt? Peccatur autem? Caveri igitur poteſt.* (c) *Conſtat enim neminem vituperatione, ſuppliciove dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet; aut id non faciat, quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & antiſti-*

Digitized by Google

tiſtites in ſacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum? (d) *Quamobrem ſi propria voluntate præceptis anima non obtemperavit, vera culpa, & juſta pœna; ſed jam ſi voluntas eſt rea, nulla eſt ad peccandum natura contraria; ſi autem ab hoſte oppreſſa, ſi alieno malo ſuperata, cui reſiſtere non valuerat, iniqua pœna, & magna crudelitas.* (e) *Quod vultis igitur eligite ò Manichæi: utrum neceſſitate compulſa anima, ut diligeret tenebras, an voluntate ſeducta? Si neceſſitate? Quare damnatur? Si voluntate? Quare Dei natura in tanta iniquitate deprehenditur?* (f) *Itaque ſi hoſti reſiſtere animæ non valuerunt, innocentes damnantur; ſi autem valuerunt, nec voluerunt, quid adhuc tam fabuloſè inducitis naturam mali, cum à propria voluntate ſit origo peccati? Hoc enim certè ſuá culpá, non vi aliena fecerunt, quòd cum poſſent malo reſiſtere, noluerunt: Si ergo noluerunt, voluntatis crimen eſt, non neceſſitatis.* (g) *Scio enim in quo ſit mala voluntas, id in eo fieri, quod ſi nollet, non fieret; & ideo non neceſſarios, ſed voluntarios defectus juſta pœna conſequitur.* (h) *Hac de cauſa ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum voluntatis arbitrium, quo vel benè vel malè vivitur, propter juſtum judicium Dei, ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* (i) *Quale enim judicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœleſtis neceſſitas adhibetur?* (k) *Verum quidem eſt, quod voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, niſi aliquod viſum; quid autem quiſque vel ſumat, vel reſpuat eſt in poteſtate; ſed quo viſo tangatur, nulla poteſtas eſt. Fatendum eſt, & ex ſuperioribus, & inferioribus viſis animum tangi, ut rationalis ſubſtantia ſumat ex utroque quod voluerit, & ex merito ſumendi, vel miſeria, vel beatitas conſequatur.* (l) *Non enim aliter eſſet virtus in nobis, niſi voluntatem malam ſic non haberemus, ut habere poſſimus, ſed pro hujus minoris virtutis merito, accedere nobis debuit virtus major in præmio, ut malam voluntatem ſic non haberemus, ut nec haberet poſſemus. O deſideranda neceſſitas!* (m) *Siquidem animæ rationali, quæ eſt in homine, dedit Deus liberum arbitrium; ſic enim poſſet habere meritum, ſi voluntate, non neceſſitate boni eſſemus. Cum*

ergo oporteat non neceſſitate, ſed voluntate bonum eſſe, oportebat, ut Deus animæ daret liberum arbitrium. Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. de duab. Animab. cap. 12. num. 17. to. 8. (*b*) Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 18. num. 50. to. 1. (*c*) Lib. de duab. Animab. cap. 11. num. 15. to. 8. (*d*) Lib. 22. contr. Fauſt. Manich. cap. 98. to. 8. (*e*) Lib. de Nat. Boni contra Manich. cap. 42. circa fin. to. 8. (*f*) Lib. 22. contra Fauſt. Manich. cap. 22. tom. 8. (*g*) Lib. 12. de Civ. Dei cap. 8. to. 7. (*h*) Lib. 2. contra Fauſt. Manich. cap. 5. to. 8. (*i*) Lib. 5. de Civ. cap. 1. to. 7. (*k*) Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 25. num. 74. to. 1. (*l*) Lib. 5. Oper. Imperf. num. 61. to. 10. (*m*) Lib. contra Fortun. Manich. diſp. 1. num. 15. to. 8.

ARTICULUS IV.

Utrum ex S. Auguſtino præceptum, conſilium, laus, reprehenſio, & vituperatio, quibus ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo arguant ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate?

Videtur, quod ex S. Auguſtino præceptum, conſilium, laus, reprehenſio, & vituperatio, quibus ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo non arguant ab omni irreſiſtibili agendi neceſsitate.

SIquidem quod ad præceptum pertinet, ſive in Moſayca, ſive in Evangelica lege incluſum, hæc habet S. Doctor Lib. 6. Oper. Imperf. num. 15. to. 10. *Non igitur lex, quæ in literis per Moyſem data eſt, teſtimonium eſt liberæ voluntatis: nam ſi ita eſſet, non ad eam pertineret ille, qui dicit: Non quod volo, facio bonum; ſed quod odi malum, hoc ago... Nec ipſa lex nova... teſtimonium eſt liberæ, ſed liberandæ potius voluntatis.*

VE-

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod ex S. Auguſtino præceptum, conſilium, laus, vituperatio, reprehenſio, quibus ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo arguunt ab omni irreſiſtibili agendi neceſsitate. Ex his enim fontibus repetit S. Doctor lapſi hominis libertatem, quod ſic oſtendimus.

I. Tract. 53. in Jo. num. 8. to. 3. Duplicem oppoſitum errorem S. Doctor redarguit; alterum eorum, qui jus quod tribuebant arbitrio libero, in præjudicium tribuebant divinæ gratiæ; alterum vero eorum, qui jus quod tribuebant divinæ gratiæ, in præjudicium tribuebant liberi arbitrii. Affirmabant primi cum Pelagio, ſuperfluum eſſe adjutorium divinæ gratiæ, ſi omnis bona voluntas eſt ex libero arbitrio. Affirmabant ſecundi cum quodam Monacho Adrumetino, ſuperfluum eſſe conatum liberi arbitrii, ſi omnis bona voluntas eſt ex divinà gratià. Sed jam audiatur S. Doctor medius incedens inter contrarios errores. *Ne audeat quiſquam liberum arbitrium ſic defendere, ut nobis orationem quâ dicimus, ne nos inferas in tentationem, conetur auferre. Rurſus, ne quiſquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excuſare peccatum: ſed audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem: & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere poſſimus. Nam & quoſdam nimia ſuæ voluntatis fiducia extulit in ſuperbiam: & quoſdam nimia ſuæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, ut quid rogamus Deum nè vincamur tentatione, quod in noſtra eſt poteſtate? Iſti dicunt, ut quid conamur benè vivere, quod in Dei eſt poteſtate? O Domine, O Pater qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet iſtarum tentationum, ſed libera nos a malo. Audiamus Dominum dicentem, rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua, ne ſic exiſtimemus fidem noſtram eſſe in libero arbitrio, ut divino non egeat adjutorio. Audiamus & Evangeliſtam dicentem, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ne omnino exiſtimemus in noſtra poteſtate non eſſe, quod credimus: verumtamen in utroque*

Digitized by Google

illius beneficia cognoſcamus; nam & agendæ ſunt gratiæ, quia data eſt poteſtas; & orandum, ne ſuccumbat infirmitas;

Ergo ex S. Auguſtino Præceptum Domini jubentis, quid facere debeamus argumentum eſt liberæ voluntatis, ratione cujus nullus poteſt ſuum excuſare peccatum; ſed ſub irreſiſtibili malè agendi neceſſitate, nulla eſt voluntas libera, cujus ratione nullus poſſit ſuum excuſare peccatum; quare ex Sancto Auguſtino præceptum, cui ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo arguit ab omni irreſiſtibili malè agendi neceſſitate.

II. Lib. 2. contra Maximin. cap. 14. num. 9. tom. 8. *Præceptum vero id nobiſcum agit, ut quod jam eſt in poteſtate, faciamus; ſi autem nondum eſt in poteſtate, oremus nobis poteſtatem dari, ut quod præceptum eſt, impleamus;*

Ergo ex S. Auguſtino Dei præceptum argumentum eſt vel liberæ poteſtatis faciendi id, quod præcipitur, vel liberæ poteſtatis orandi pro impetranda libera poteſtate faciendi id, quod præcipitur; ſed ſub irreſiſtibili vel obediendi, vel orandi neceſſitate, nulla eſt poteſtas libera vel faciendi id, quod præcipitur, vel orandi pro impetranda poteſtate libera faciendi id, quod præcipitur; quare ex S. Auguſtino Dei præceptum argumentum eſt poteſtatis liberæ ab omni irreſiſtibili cum obediendi, tum orandi neceſſitate; ac proinde ex S. Doctore præceptum, cui ſubiacet homo lapſus, immunitatem in illo arguit ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate.

III. Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 2. num. 2. tom. 10. *Revelavit nobis per ſcripturas ſuas ſanctas eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium.... Quia ipſa divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, qua ea faciens, ad promiſſa præmia perveniret;*

Atqui, ut divina præcepta homini lapſo proſint ad meritum obedientiæ, quo merito ad promiſſa præmia perveniat, neceſſe eſt ut homo lapſus ſit immunis ac liber ab omni irreſiſtibili obediendi neceſſitate; quare ex S. Auguſtino præceptum, cui ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo arguit ab omni irreſiſtibili agendi neceſſitate.

IV.

Digitized by Google

IV. Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 2. num. 4. to. 10. *Ubi dicitur: Noli hoc, & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium. Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque cum peccat: neque cum aliquid ſecundùm Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate;*

Ergo ex S. Auguſtino divina præcepta ſunt argumenta certiſſima, quibus ſatis perſpicuè demonſtratur ineſſe homini liberum voluntatis arbitrium, cujus vi & ratione nemo Deum cauſari poteſt in corde ſuo, ſed ſibi quiſque imputare debet, cum peccat; ſed ſub irreſiſtibili peccandi neceſſitate non ineſt homini liberum voluntatis arbitrium, cujus vi & ratione Deum cauſari nequeat in corde ſuo, & quiſque ſibi imputare debeat, cum peccat; quare ex S. Auguſtino divina præcepta ſunt argumenta certiſſima, quibus ſatis perſpicuè demonſtratur nullam ineſse homini irreſiſtibilem peccandi neceſsitatem.

V. Lib. 2. de Actis cum Felic. Manich. cap. 4. to. 8. *Hoc ergo Dominus dicens, aut facite illud, aut facite illud, oſtendit eſſe in poteſtate quid facerent; ipſe ſecurus, & certus in ſe tanquam Deus: Et quia ſi bonum eligerent, præmium ejus acciperent; ſi malum eligerent, pœnam ejus ſentirent: ſemper autem ille juſtus eſt aut remunerator, aut damnator;*

Ergo ex S. Auguſtino Dei præceptum oſtendit eſse in homine lapſo poteſtatem eligendi pro libito inter bonum, & malum; ex hac autem libera electione conſequitur vel juſtum præmium, vel juſtum ſupplicium a Deo ſemper juſto, aut remuneratore, aut damnatore; ſed ſub irreſiſtibili peccandi neceſsitate nulla eſt poteſtas eligendi pro libito bonum inter & malum, nulla eſt libera electio, nullum juſtum præmium, nullum ſupplicium juſtum, nullus juſtus remunerator, nullus damnator juſtus: quæ impia & abſona dictu ſunt; ac proinde ex S. Auguſtino Dei præceptum oſtendit nullam eſse in homine lapſo irreſiſtibilem peccandi neceſsitatem.

VI. Serm. 165. de Verb. Apoſtol. cap. 1. num. 1. to. 5. *Petit ergo eos, ut non infirmentur, quod non faceret, niſi eorum*

rum vellet excitare voluntatem: ſi enim reſponderent: quid nos petis, quod in poteſtate non habemus? Nunquid non viderentur ſibi juſtum reddidiſſe reſponſum? Et tamen Apoſtolus, niſi ſciret eſſe in eis voluntatis propriæ conſenſionem; ubi & ipſi aliquid agerent, non diceret, peto: *Et ſi diceret*, jubeo, *niſi eos noſſet adbibere poſſe juſſioni ſuæ voluntatem, ſinè cauſa hoc verbum de ejus ore procederet*;

Ergo ex S. Auguſtino conſilium ſignificatum per illam Apoſtoli vocem *Peto*, & præceptum expreſſum per vocem illam *Jubeo*, argumenta ſunt liberæ conſenſionis, & liberæ voluntatis, a liberà volendi & conſentiendi poteſtate proficiſcentium; hæc autem libera conſenſio, & voluntas: libera hæc volendi & conſentiendi poteſtas nulla ratione conciliari poſſunt cum irreſiſtibili volendi & conſentiendi neceſſitate; ac proinde ex S. Auguſtino præceptum, atque conſilium, quibus ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo arguunt ab omni irreſiſtibili agendi neceſsitate.

VII. Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 1. num. 3. to. 1. *Motus autem quo huc aut illuc voluntas convertitur, niſi eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem voluntatis*;

Ergo ex S. Auguſtino ad juſtam laudem, atque vituperationem neceſſe eſt, ut animi motus in noſtra poteſtate ſit poſitus, & oriatur à voluntate, bonum inter & malum, medià & indifferenti, inſtar cardinis in gyrum verſatilis, quin voluntas aut ſuperiori bono, aut inferiori malo ſit applicata, affixa, alligata, adeout nequeat ſeſe expedire pro libito, & ad objectum oppoſitum pro libito ſe convertere; hæc autem minimè congruunt cum irreſiſtibili agendi neceſſitate; ac proinde ex S. Auguſtino laus, & vituperatio, quibus ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo arguunt ab omni irreſiſtibili tum benè, tum malè agendi neceſſitate.

VIII. Ad Lampad. Ep. 246. de Fato num. 3. to. 2. *Quando quiſque cum reprebendi cœperit, cauſam convertit in fatum, & ideo ſe culpari non vult, quia fato ſe dicit coactum feciſſe id quod*

Digitized by Google

quod arguitur, redeat ad ſeipſum, ſervet hoc in ſuis, non caſtiget ſervum furem, non de contumelioſo filio conqueratur, vicino improbo non minetur. Quid enim horum faciens, juſtè facit, ſi omnes, à quibus injurias patitur, non culpâ ſuâ, ſed fato impelluntur, ut faciant?

Ergo ex S. Auguſtino querelæ, reprehenſiones, minæ, ſupplicia, quibus mala peccantium facta jure coercemus, argumenta ſunt voluntatis liberæ ab omni fatali peccandi neceſſitate. Hæc autem fatalis peccandi neceſsitas, cum nihil aliud ſit, quam irreſiſtibilis quædam peccandi neceſsitas, ex S. Auguſtino conſequitur, quod querelæ, reprehenſiones, minæ, ſupplicia, quibus male facta peccantium jure coercemus, argumenta ſunt voluntatis liberæ ab omni irreſiſtibili peccandi neceſsitate; ac proinde ex S. Doctore querelæ, reprehenſiones, minæ, ſupplicia, quibus ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo arguunt ab omni irreſiſtibili malè agendi neceſsitate.

IX. Ibidem, ſub num. 2. to. 2. *Illud ſanè quantocyus, ac breviter noveris, omnes leges, atque omnia inſtituta diſciplinæ, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, ſupplicia, ceteraque omnia, quibus humanum genus adminiſtratur & regitur, penitùs labefactari, atque ſubverti, nihilque in eis omnino juſtitiæ remanere, niſi voluntas ſit cauſa peccandi;*

Ergo ex S. Auguſtino ſi quædam irreſiſtibilis fataliſque neceſsitas, non autem voluntas prorſus immunis a quavis irreſiſtibili fatalique neceſsitate, ſit cauſa peccandi, nullus ſupereſt Juſtitiæ vindicativæ locus: penituſque labefactantur, ac ſubvertuntur inſtituta, leges, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, ſupplicia, ceteraque omnia, quibus humanum genus adminiſtratur, & regitur; ac proinde ex S. Auguſtino adjumenta illa tuendæ & amplificandæ juſtitiæ maximè idonea, argumenta ſunt voluntatis liberæ ab omni irreſiſtibili tum benè, tum malè agendi neceſsitate; quare ex S. Doctore præceptum, conſilium, laus, reprehenſio, vituperatio, quibus ſubjacet homo lapſus, immunitatem in illo arguunt ab omni irreſiſtibili agendi neceſsitate.

Ad

Digitized by Google

Ad objectum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino, diſputante loco citato adverſus Julianum Pelagianum, neque lex vetus, neque lex nova ſunt teſtimonium voluntatis liberæ, ſivè à neceſſitate interioris gratiæ ad actus ſingulos ſalutares, ſivè à peccato originis, ſivè à pœnali concupiſcentia, ſignificata per illas Apoſtoli voces: *Non quod volo, facio bonum; ſed quod odi malum, hoc ago*. His enim contraria affirmabat Julianus.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Ne quiſquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excuſare peccatum; ſed audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem; & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem, ut implere poſſimus.* (b) *Præceptum enim id nobiſcum agit, ut quod jam eſt in poteſtate faciamus; ſi autem nondum eſt in poteſtate, oremus nobis poteſtatem dari, ut quod præceptum eſt impleamus.* (c) *Siquidem Deus revelavit nobis per ſcripturas ſuas ſanctas eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium, quia ipſa divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret.* (d) *Ubi enim dicitur: Noli hoc, & noli illud: Et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium. Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque, dum peccat.* (e) *Hoc ergo Dominus dicens: Aut facite illud, aut facite illud: oſtendit eſſe in poteſtate quid facerent; & quia ſi bonum eligerent, præmium ejus acciperent; ſi malum eligerent, pœnas ejus ſentirent; ſemper autem ille juſtus eſt, aut remunerator, aut damnator.* (f) *Paulus autem Apoſtolus petit Epheſios, ut non infirmentur, quod non faceret, niſi eorum vellet excitare voluntatem: Si enim reſponderent: Quid nos petis, quod in poteſtate non habemus? Nunquid non viderentur ſibi juſtum reddidiſſe reſponſum? Et tamen Apoſtolus, niſi ſciret eſſe in eis voluntatis propriæ conſenſionem, ubi & ipſi aliquid agerent, non diceret,* Peto. *Et ſi diceret,* Jubeo, *niſi eos noſſet adhibere poſſe juſſioni ſuæ voluunta-*

Digitized by Google

luntatem, ſine cauſa hoc verbum de ejus ore procederet. (g) *Hinc ſit etiam, ut ſi motus quo huc, aut illuc voluntas convertitur, non eſſet voluntarius, atque in noſtra poſitus poteſtate, neque laudandus cum ad ſuperiora, neque culpandus homo eſſet, cum ad inferiora detorquet quaſi quemdam cardinem voluntatis.* (h) *Quod ſi quis cum reprehendi cœperit, cauſam convertit in fatum; & ideo ſe culpari non vult, quia fato ſe dicit coactum, feciſſe id quod arguitur, redeat ad ſeipſum, ſervet hoc in ſuis, non caſtiget ſervum furem, non de contumelioſo filio conqueratur, vicino improbo non minetur. Quid enim horum faciens, juſtè facit, ſi omnes à quibus injurias patitur, non culpâ ſuâ, ſed fato impelluntur ut faciant?* (i) *Illud igitur quantocyus ac breviter noveris, omnes leges, atque omnia inſtituta diſciplinæ, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, ſupplicia, ceteraque omnia, quibus humanum genus adminiſtratur & regitur, penitus labefactari, atque ſubverti, nihilque in eis omninò juſtitiæ remanere, niſi voluntas ſit cauſa peccandi.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Tract. 53. in Jo. num. 8. to. 3. (*b*) Lib. 2. contra Maximin. Epiſc. Arian. cap. 14. num. 9. to. 8. (*c*) Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 2. num. 2. tom. 10. (*d*) Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 2. num. 4. to. 10. (*e*) Lib. 2. de Actis cum Felic. Manich. cap. 4. to. 8. (*f*) Serm. 165. de Verb. Apoſt. cap. 1. num. 1. tom. 5. (*g*) Lib. 3. de Lib. Arb. cap. 1. num. 3. to. 1. (*h*) Ad Lampad. Epiſt. 246. de Fato num. 3. tom. 2. (*i*) Ad Lampad. de Fato Epiſt. 246. num. 2. tom. 2.

Digitized by Google

ARTICULUS V.

Utrum apud S. Auguſtinum vocabula hæc Libertas, Poteſtas, Voluntas, *& his ſimilia, ſolam in homine lapſo immunitatem ſignificent ab omni violenta coactione?*

Videtur, quod apud S. Auguſtinum vocabula hæc *Libertas*, *Poteſtas*, *Voluntas*, & his ſimilia, ſolam in homine lapſo immunitatem ſignificent ab omni violenta coactione. Quandoquidem

I. LIb. 83. Quæſt. qu. 24. to. 6. *Meritum pœnæ, peccatum; & meritum præmii, rectè factum eſt; nec peccatum autem, nec rectè factum imputari cuiquam juſtè poteſt, qui nihil fecerit propria voluntate. Eſt igitur & peccatum, & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.*

II. Lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 30. num. 33. to. 10. *Iſta condelectatio legi Dei ſecundùm interiorem hominem, de magna nobis venit gratia Dei.... Non enim timor eſt torquens, ſed amor libens: ibi ſumus veraciter liberi, ubi non delectamur inviti.*

III. Lib. 6. Oper. Imperf. num. 10. to. 10. ſic Julianum redarguit. *Dixiſti enim, liberum arbitrium non eſt aliud, quàm poſſibilitas peccandi, & non peccandi: quâ definitione primùm ipſi Deo liberum arbitrium abſtuliſti... Deinde ipſi ſancti, in regno ejus, liberum arbitrium perdituri ſunt, ubi peccare non poterunt.*

IV. Lib. 5. de Civ. Dei cap. 10. num. 1. to. 7. *Si neceſſitas noſtra illa dicenda eſt, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſed etiamſi nolimus, efficit quod poteſt, ſicut eſt neceſſitas mortis; manifeſtum eſt voluntates noſtras, quibus rectè vel perperam vivitur, ſub tali neceſſitate non eſſe.*

V. Lib. 2. de Lib. Arb. cap. 20. num. 54. to. 1. *Qui tamen defectus, quoniam eſt voluntarius, in noſtra eſt poſitus poteſtate.*

VI.

Digitized by Google

VI. Lib. 1. Retract. cap. 22. num. 4. to. 1. *In poteſtate hominis eſt mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur ... Cum enim hoc ſit in poteſtate, quod cum volumus, facimus, nihil tàm in poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt; ſed præparatur voluntas à Domino.*

VII. Lib. 2. de Peccat. Merit. & Remiſſ. cap. 5. num. 6. tom. 10. *Nec ideo tamen ſolis de hac re votis agendum eſt, ut non ſubinferatur adnitendo etiam noſtræ efficacia voluntatis: adjutor enim noſter Deus dicitur, nec adjuvari poteſt, niſi qui etiam aliquid ſponte conatur; quia non ſicut in lapidibus inſenſatis, aut ſicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.*

VIII. Lib. de Correp. & Grat. cap. 14. num. 45. to. 10. *Sua voluntate utique iſti conſtituerunt regem David. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt, quod fecerunt corde pacifico. Et tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur .... Ac per hoc Dominus Omnipotens, qui erat cum illo, adduxit iſtos, ut eum Regem conſtituerent; & quomodo adduxit? Nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis operatus eſt, traxit.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod apud S. Auguſtinum vocabula hæc *Libertas*, *Poteſtas*, *Voluntas*, & his ſimilia, ſignificant in homine lapſo libertatem immunem tum ab omni violenta coactione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione: quod ex propoſitis S. Doctoris placitis ita conficitur.

I. Lib. 2. de Nupt. & Concup. cap. 3. num. 8. to. 10. *Si quis ad colendum rectè Deum, ſine ipſius adjutorio, dicit eſſe in hominibus liberum arbitrium, ipſe Cæleſtianus, & Pelagianus vocatur... Liberum itaque in hominibus eſſe arbitrium... utrique dicimus. Non hinc eſtis Cæleſtiani, & Pelagiani; liberum*

 autem

Digitized by Google

autem eſſe quemquam ad agendum bonum ſine adjutorio Dei... hoc vos dicitis; hinc eſtis Cæleſtiani, & Pelagiani.

II. Lib. 3. Oper. Imperf. num. 105. to. 10. *Verum eſt enim hæreticos dicere, ideſt, vos ipſos: liberum eſſe quemquam ad agendum bonum, ſine adjutorio Dei.*

III. Lib. 3. Oper. Imperf. num. 214. to. 10. *Me non eſſe liberi arbitrii, quod tu extollendo præcipitas, negatorem; ſed potius defenſorem, Dei gratiam confitendo, quod arbitrium tu deiicis, in tua virtute fidendo, innumerabilia ſacra teſtimonia proclamant.*

IV. Epiſt. 215. ad Valent. contra Pelagian. num. 4. to. 2. *In fide ſana, catholica perſeverent, quæ neque liberum arbitrium negat ſive in vitam malam, ſive in bonam; neque tantùm ei tribuit, ut ſine gratia Dei valeat aliquid, ſive, ut ex malo convertatur in bonum, ſive, ut in bono perſeveranter proficiat, ſivè, ut ad bonum ſempiternum perveniat, ut jam non timeat, ne deficiat.*

V. Epiſt. 217. ad Vital. cap. 3. num. 8. to. 2. *Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde fit liberum; nam qui oppugnat gratiam, quà noſtrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipſe arbitrium ſuum adhuc vult eſſe captivum.*

VI. Epiſt. ad Vital. 217. cap. 5. num. 16. & cap. 6. num. 23. to. 2. *Scimus eos, qui proprio corde credunt in Dominum, ſuâ id facere voluntate, ac libero arbitrio.... Quomodo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate: cum potius illi oppugnent liberum arbitrium, qui oppugnant Dei gratiam, quâ verè ad bona eligenda, & agenda fit liberum?*

Ergo ex S. Auguſtino liberum illud humanæ voluntatis arbitrium, quod Pelagiani & Cæleſtiani, contra dogma catholicum, pertinaciſſimè defenſabant, non erat, niſi arbitrium liberum & immune ab omni indigentia, & neceſſitate prævenientis indebitæ gratiæ, in ordine ad fidem, pœnitentiam, perſeverantiam, ceteraſque virtutes ſalutares, ſuperna merita ſem-

ſempiternæ beatitatis. Adverſus hanc hominis libertatem a gratia, utpotè non catholicam, ſed Pelagianam, ſed Cæleſtianam, inviƈtiſſimè Auguſtinus decertabat. Ceterum utrique tàm Pelagius, quàm Auguſtinus in eo conſentiebant, & mutuò manus dabant, quod admitterent hominis libertatem immunem, tum ab omni violenta coaƈtione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione. Neque enim Auguſtinum inter & Pelagianos agitabatur controverſia ulla, vel circa *ſufficientiam inefficacis*, vel circa *aƈtivitatem efficacis gratiæ*; ſed tota belli moles, Auguſtinum inter & Pelagianos, vertebatur dumtaxat circa *ſummam neceſſitatem*, *& indebitam ſupernaturalitatem prævenientis gratiæ*; quare apud S. Auguſtinum pugnantem cum Pelagianis vocabulum hoc *Libertas*, ſive, *Liberum Arbitrium* ſignificat in homine lapſo libertatem immunem & ab omni violentà coaƈtione, & ab omni irreſiſtibili determinatione.

VII. Serm. 242. cap. 2. num. 3. to. 5. *Quare ergo Dominus cum ſuorum vulnerum cicatricibus reſurrexit? Quid ad hoc dicimus? Niſi quia & hoc poteſtatis fuit, non neceſſitatis.*

VIII. Serm. 218. cap. 12. num. 12. to. 5. *Quod ait: Perfeƈtum eſt, & inclinato capite reddidit Spiritum, non neceſſitatem, ſed poteſtatem ſuæ mortis oſtendit.*

IX. Serm. 300. cap. 4. num. 4. to. 5. *Intuere Domini paſſionem: pone tibi ante oculos in ligno pendentem, & tanquam Leonem, cum voluit, recumbentem; atque ut occideret mortem, non neceſſitate, ſed poteſtate morientem.*

X. Traƈt. 37. in Joan. num. 9. to. 3. *Dominus, quando voluit, carnem in Utero Virginali accepit: quando voluit, ad homines proceſſit: quandiu voluit, inter homines vixit: quando voluit, à carne diſceſſit; hoc eſt poteſtatis, non neceſſitatis.*

Ergo S. Auguſtinus ad ſignificandam in Chriſto Domino immunitatem, tum ab omni violenta coaƈtione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione, utitur his vocabulis, videlicet, *Poteſtas*, *non neceſſitas*; cum autem S. Doƈtor, ad ſignificandam libertatem hominis lapſi, hæc eadem vocabula frequentiſſimè uſurpet, videlicet, *Poteſtas*, *non neceſſitas*, conficitur, quod apud

Digitized by Google

apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *Poteſtas* immunitatem ſignificat in homine lapſo, tum ab omni violentà coactione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione.

XI. Lib. de Spir. & Lit. cap. 31. num. 53. & 54. tom. 10. *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult, facit; ſi non vult, non facit... Vide nunc, utrum quiſque credat, ſi noluerit; aut non credat, ſi voluerit? Quod ſi abſurdum eſt; quid eſt enim credere, niſi conſentire verum eſſe, quod dicitur? conſenſio autem utique volentis eſt: profectò fides in poteſtate eſt: ſed ſicut Apoſtolus dicit, non eſt poteſtas, niſi a Deo.... Sed cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur;*

Ergo apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *Poteſtas* homini libero adtributum, nihil aliud ſignificat, quàm liberæ voluntatis dominium faciendi, vel non faciendi pro libito quidquid in poteſtate eſſe conceditur: & hac de cauſa apud S. Auguſtinum ab una eademque voluntate libera hominis lapſi ſeſe mutuò excludunt duo hæc ſecum pugnantia, videlicet, *Poteſtas*, atque *Neceſſitas*; ac proinde apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *Poteſtas* immunitatem ſignificat in homine lapſo, tum ab omni violenta coactione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione.

XII. Lib. de Correp. & Grat. cap. 14. num. 45. tom. 10. *Quando Deus voluit Sauli regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraelitarum ſubdere ſe memorato viro, ſive non ſubdere, quod utique in eorum erat poſitum voluntate, ut etiam Deo valerent reſiſtere;*

Ergo S. Auguſtinus utitur vocabulo hoc *Poteſtas* ad ſignificandam in homine lapſo facultatem agendi, vel non agendi pro libito, cum virtute reſiſtendi cuicùmque cauſæ applicanti ad agendum; ac proinde apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *Poteſtas* ſignificat in homine lapſo immunitatem tum ab omni violenta coactione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione.

XIII. Serm. 218. cap. 1. num. 1. tom. 5. hæc, & ſequentia, locis ſubjectis de Chriſto Domino habet. *Nec in ipſa carne mortali aliquid ille neceſſitate, ſed omnia voluntate perpeſſus eſt.*

XIV.

Digitized by Google

XIV. Tract. 8. in Jo. num. 12. tom. 3. *At ubi tantùm fecit, quantùm ſufficere judicavit, venit hora, non neceſſitatis, ſed voluntatis, non conditionis, ſed poteſtatis.*

XV. Tract. 11. in Jo. num. 2. to. 3. *Oſtendit Dominus voluntate ſe pati, non neceſſitate.*

XVI. Tract. 123. in Jo. num. 5. tom. 3. *Qui utique mori venerat, nec habebat mortis neceſſitatem, ſed voluntatem, poteſtate poſiturus animam ſuam, & rurſus eam poteſtate ſumpturus;*

Ergo S. Auguſtinus, ad demonſtrandam in Chriſto Domino immunitatem, tum ab omni violenta coactione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione, quoad ſubeundam liberam ſibi mortem, & perferendos liberos ſibi cruciatus, duplex hoc vocabulum adhibet, videlicet, *Poteſtas*, *Voluntas*, atque utrumque contraponit vocabulo huic *Neceſſitas*; cum autem S. Auguſtinus, frequenter propugnans lapſi hominis libertatem, in ſuis paſſim uſurpet diſputationibus vocabula eadem *Poteſtas*, videlicet, & *Voluntas*, & illa opponat huic voci *Neceſſitas*, evincitur, quod apud S. Auguſtinum vocabula hæc *Poteſtas*, *Voluntas* immunitatem ſignificant in homine lapſo, tum ab omni violenta coactione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione.

XVII. Lib. de vera Relig. cap. 14. num. 28. to. 1. *Quod autem homini a perverſo angelo perſuaſum dicitur, etiam ad hoc utique voluntate conſenſit; nam ſi neceſſitate id feciſſet, nullo peccati crimine teneretur.*

XVIII. Lib. 11. de Geneſ. ad Lit. cap. 7. num. 9. tom. 3. *Ecce nos concedimus meliorem eſſe naturam, quæ omnino peccare nolit, concedant & ipſi non eſſe malam naturam, quæ ſic facta eſt, ut poſſet non peccare ſi nollet, & juſtam eſſe ſententiam, qua punita eſt, quæ voluntate, non neceſſitate peccavit.*

XIX. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 105. to. 10. *Et illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt, unde ab eis liberum eſt abſtinere.*

XX. Serm. 199. cap. 2. num. 3. tom. 5. *De genituris hominum vani homines loquantur, quod inſipienter opinantur: negent*

Digitized by Google

gent voluntatem, *quà peccant*; *confingant neceſſitatem*, *quà peccata defendant*;

Ergo apud S. Auguſtinum perinde ſe habet Adamum *voluntate* peccaſſe, ac non peccaſſe *neceſſitate*; perinde ſe habet Adamum *voluntate* diabolo conſenſiſſe, ac non conſenſiſſe diabolo *neceſſitate*; hinc ſimiliter apud S. Doctorem perinde ſe habet homines in Adam lapſos peccata committere *voluntate*, ac non committere peccata *neceſſitate*; ac proinde apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *Voluntas* ſignificat in homine lapſo voluntatem immunem tum ab omni violenta coactione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino ut peccatum, & recte factum juſtè imputari cuiquam poſſint, alterum ad malum meritum pœnæ, alterum autem ad bonum meritum præmii, neceſſe eſt, ut actus hujuſmodi ſint voluntarij, profluentes ex arbitrio voluntatis libero ab omni violenta coactione; ſed hoc non ſufficit ex S. Auguſtino, ſed inſuper prærequiritur ex eodem S. Doctore, ut actus hujuſmodi profluant ab Arbitrio verè Libero a quavis irreſiſtibili determinatione, quod ſuperiora S. Doctoris teſtimonia meridiana luce clariùs oſtendunt.

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino amor ſupernus libens, ſuavis delectatio ſuperna, per quos affectus ſumus veraciter liberi, quia liberi per illos ſumus a ſervitute peccati, per quos affectus non delectamur inviti, dum delectatione & amore legem divinam implemus, hujuſmodi, inquam, affectus non ſolum excludunt a nobis omnem violentam coactionem, ſed etiam omnem irreſiſtibilem, ſeu neceſſitantem determinationem, ut allegatis S. Auguſtini ſententiis fuit demonſtratum.

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino contra Julianum, qui more ſuo nihil concedebat hæretico, quod non eſſet omnino certum atque exploratum, ad liberum arbitrium in tota ſua latitudine acceptum, quatenùs complectitur arbitrium liberum creatum & increatum, viatoris & comprehenſoris, minimè pertinet poteſtas peccandi & non peccandi; ſed

pote-

poteſtas hujuſmodi peccandi & non peccandi, utpote ad comparandum meritum neceſſaria, ad liberum arbitrium viatoris hominis lapſi pertinet ex Auguſtino.

Ad quartum dicendum ex S. Auguſtino voluntates noſtras, quibus recte vel perperam vivitur, neque eſſe ſub neceſſitate violentæ coactionis, neque eſſe ſub neceſſitate irreſiſtibilis determinationis; utraque enim neceſſitas pugnat cum libertate indifferentiæ ad merendum, & demerendum pro ſtatu naturæ lapſæ neceſſariâ.

Ad quintum dicendum, quod ex S. Auguſtino defectus a ſummo bono, atque a primâ juſtitiæ regulâ, ideſt, peccatum, quoniam eſt voluntarius, quatenus proficiſcitur a voluntate libera tum ab omni violenta coactione, tum ab omni irreſiſtibili determinatione, in noſtra eſt poſitus poteſtate; ſi enim ab irreſiſtibili determinatione emanaret, non eſſet in noſtra poſitus poteſtate, actuum noſtrorum arbitra ac domina, quod frequentiſſime S. Auguſtinus tum adverſus Manichæos, tum adverſus Pelagianos diſputans docet, ac prædicat.

Ad ſextum dicendum, quod juxta S. Auguſtinum ex omnibus actibus, qui in noſtra ſunt poſiti poteſtate, nullus adeo in noſtra poteſtate poſitus eſt, ut noſtra ipſa voluntas. Quandoquidem ceteri actus, ideo in poteſtate noſtra poſiti ſunt, quia pendent a libera voluntatis noſtræ determinatione; at voluntas noſtra non ideo in poteſtate noſtra poſita eſt, quia pendet a libera voluntatis noſtræ determinatione, ſed quia ſuàpte naturà eſt ipſamet libera poteſtatis noſtræ determinatio, a qua actus ceteri determinantur. Superna autem poteſtas, & præparatio gratuita piæ voluntatis, ex ipſa verborum ſignificatione, neque eſt coactio violenta, neque eſt determinatio irreſiſtibilis piæ voluntatis.

Ad ſeptimum dicendum, quod ex S. Auguſtino ad conſequendam ſalutem, adjutorio divinæ gratiæ adjungendus eſt conatus ſpontaneus voluntatis humanæ; ſed hoc non ſufficit, niſi conatus hujuſmodi expers omnino ſit ab omni prorſus determitione, cui reſiſti omnino non poſſit. Nam ut ibi admonet S. Doctor: *Non ſicut in eis, in quorum natura rationem, volunta-*

temque non condidit, *ſalutem noſtram Deus operatur in nobis*; cum autem ſalutem naturæ Deus operetur in brutis, citra omnem violentam coactionem, non autem citra omnem irreſiſtibilem determinationem; ex antitheſi S. Doctoris conſequitur, quod ſalutem gratiæ Deus operatur in nobis, tum citra omnem violentam coactionem, tum citra omnem irreſiſtibilem determinationem.

Ad octavum dicendum, quod ex S. Auguſtino ad regem David conſtituendum tam blande ac ſuaviter Judæorum voluntates Deus excitavit, emollivit, ac pertractavit, ut impulſui moventis Dei poſſent reſiſtere; quod factum etiam fuit in electione Saulis in regem, ut S. Auguſtinus docet loco citato per hæc verba: *Quando Deus voluit Sauli regnum dare*, *ſic erat in poteſtate Iſraelitarum ſubdere ſe memorato viro*, *ſive non ſubdere*, *quod utique in eorum erat poſitum voluntate*, *ut etiam Deo valerent reſiſtere*. Hinc habes, quid ſibi velint elocutiones illæ, quas loco in objectione citato coacervatim congerit S. Doctor, videlicet Lib. de Correp. & Grat. cap. 14. num. 45. tom. 10. Elocutiones autem a S. Doctore ibi adhibitæ ſunt hujuſmodi: *Deus hominum corda tangit*, *movet*, *trahit*: *In cordibus hominum*, *quod voluerit*, *Deus operatur*: *Habet Deus humanorum cordium*, *quò placuerit*, *inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*: *Deus de hominum voluntatibus*, *quod vult*, *cum vult facit*: *Deus magis habet in poteſtate voluntates hominum*, *quàm ipſi ſuas*: *Voluntati Dei humanas voluntates non poſſè reſiſtere*, *quo minus faciat ipſe*, *quod vult*. Hæc autem omnia in illa eadem recidunt, ac relabuntur, quæ S. Doctor definit Lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. num. 13. tom. 6. per hæc verba: *Non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate*, *ut fruſtra ille miſereatur*, *ſi homo nolit*; *quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri*, *poſſet ita vocare*, *quomodo illis aptum eſſet*, *ut & moverentur*, *& intelligerent*, *& ſequerentur*. *Verum eſt ergo*, *multi vocati*, *pauci electi*. *Illi enim electi*, *qui congruenter vocati*: *illi autem qui non congruebant*, *neque contemperabantur vocationi*, *non electi*, *quia non ſecuti*, *quamvis vocati*. *Item verum eſt*: *Non volentis*, *neque currentis*, *ſed miſerentis eſt Dei*; *quia etiamſi*

etiamſi multos vocet, eorum tamen miſeretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum eſt, ut ſequantur. Falſum eſt autem, ſi quis dicit: Igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis; quia nullius Deus fruſtra miſeretur; cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere ut vocantem non reſpuat. Jam vero: Eo ipſo quod corda hominum Deus ita vocando tangit, movet, & attrahit, quomodo unicuique aptum eſt ut ſic vocantem ſequatur, quomodo unicuique congruit ut ſic vocanti contemperetur, quomodo unicuique congruere ſcit præſcientiâ certiſſimâ & infallibili ut ſic vocantem non reſpuat, eoipſo in cordibus hominum quod voluerit Deus operatur, eoipſo poteſtate omnipotentiſſima hominum corda quò placuerit inclinat, eoipſo de voluntatibus hominum quod vult cum vult facit, eoipſo magis habet in poteſtate voluntates hominum quàm ipſi ſuas, eoipſo voluntati Dei voluntates hominum non poſſunt reſiſtere quo minus faciat ipſe quod vult. Hujuſmodi eſt ex S. Auguſtino Dominium Dei conſentaneum libertati hominis, quod exercet Deus ſupra hominis voluntatem, citra omnem violentam coactionem, citra omnem irreſiſtibilem determinationem.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Si quis ad colendum recte Deum, ſine ipſius adjutorio, dicit eſſe in hominibus liberum arbitrium, ipſe Cæleſtianus, & Pelagianus vocatur; liberum itaque in hominibus eſſe arbitrium utrique dicimus. Non hinc eſtis Cæleſtiani, & Pelagiani; liberum autem quemquam eſſe ad agendum bonum ſine adjutorio Dei, hoc vos dicitis; hinc eſtis Cæleſtiani, & Pelagiani.* (b) *Verum eſt enim hæreticos dicere, ideſt, vos ipſos liberum eſſe quemquam ad agendum bonum, ſine adjutorio Dei.* (c) *Siquidem me non eſſe liberi arbitrii, quod tu extollendo præcipitas, negatorem, ſed potius defenſorem, Dei gratiam confitendo, quod arbitrium tu deiicis in tua virtute fidendo, innumerabilia ſacra teſtimonia proclamant.* (d) *Nam fides ſana, catholica, neque liberum arbitrium negat, ſive in vitam malam, ſive in*

bonam;

bonam; neque tantum ei tribuit, ut ſine gratia Dei valeat aliquid, ſive ut in bono perſeveranter proficiat, ſive ut ad bonum ſempiternum perveniat, ut jam non timeat, ne deficiat. (e) *Hinc ſi vere volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus, unde fit liberum; nam qui oppugnat gratiam, qua noſtrum ad declinandum a malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipſe arbitrium ſuum adhuc vult eſſe captivum.* (f) *Scimus enim eos, qui proprio corde credunt in Dominum, ſua id facere voluntate, ac libero arbitrio; quomodo ergo dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, nonniſi ſua libera credere voluntate? Cum potius illi oppugnent Dei gratiam, qua vere ad bona eligenda, & agenda fit liberum.* (g) *Exemplum enim habemus in Chriſto Domino: Quare enim cum ſuorum vulnerum cicatricibus reſurrexit? Quid ad hoc dicimus? Niſi quia & hoc poteſtatis fuit, non neceſſitatis:* (h) *Quod autem ait. Perfectum eſt, & inclinato capite reddidit ſpiritum: non neceſſitatem, ſed poteſtatem ſuæ mortis oſtendit.* (i) *Intuere ergo Domini paſſionem, pone tibi ante oculos in ligno pendentem, & tanquam Leonem, cum voluit, recumbentem, atque ut occideret mortem non neceſſitate, ſed poteſtate morientem.* (k) *Dominus enim quando voluit carnem in Utero Virginali accepit, quando voluit ad homines proceſſit, quandiu voluit inter homines vixit, quando voluit a carne diſceſſit, hoc eſt poteſtatis, non neceſſitatis.* (l) *Siquidem hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit: conſenſio autem utique volentis eſt: profecto fides in poteſtate eſt; ſed ſicut Apoſtolus dicit, non eſt poteſtas, niſi a Domino: Sed cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur.* (m) *Hinc quando Deus voluit Sauli regnum dare, ſic erat in poteſtate Iſraelitarum ſubdere ſe memorato viro, ſive non ſubdere, quod utique in eorum erat poſitum voluntate, ut etiam Deo valerent reſiſtere.* (n) *Non enim inter ſe bene conveniunt voluntas, atque neceſſitas. Hinc Chriſtus Dominus nec in ipſa carne mortali aliquid neceſſitate, ſed omnia voluntate perpeſſus eſt.* (o) *Ubi enim tantum fecit, quantum ſufficere judicavit, venit hora,*

qua

qua moreretur, non neceſſitatis, ſed voluntatis, non conditionis, ſed poteſtatis. (p) *Atque oſtendit voluntate ſe pati, non neceſſitate.* (q) *Nam qui utique mori venerat, non habebat mortis neceſſitatem, ſed voluntatem, poteſtate poſiturus animam ſuam, & rurſus poteſtate ſumpturus.* (r) *Quod etiam in mala electione perſiſtit. Hinc quod homini a perverſo angelo perſuaſum dicitur, etiam ad hoc utique voluntate conſenſit: nam ſi neceſſitate id feciſſet, nullo peccati crimine teneretur.* (ſ) *Concedimus tamen non eſſe malam naturam, quæ ſic facta eſt, ut poſſet non peccare, ſi vellet; & juſtam eſſe ſententiam, qua punita eſt, quæ voluntate, non neceſſitate peccavit.* (t) *In ceteris etiam hominibus & illa fateamur eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt, unde ab eis liberum eſt abſtinere.* (u) *Quamobrem de genituris hominum vani homines loquantur, quod inſipienter opinantur, negent voluntatem qua peccant, confingant neceſſitatem quá peccata defendant.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) Lib. de Nup. & Concup. cap. 3. num. 8. to. 10. (*b*) Lib. 3. Oper. Imperf. num. 68. to. 10. (*c*) Lib. 3. Oper. Imperf. num. 214. to. 10. (*d*) Epiſt. 215. ad Valent. num. 4. to. 2. (*e*) Epiſt. 217. ad Vital. cap. 3. num. 8. to. 2. (*f*) Epiſt. 217. ad Vital. cap. 5. num. 16. & cap. 6. num. 23. to. 2. (*g*) Ser. 242. cap. 2. num. 3. tom. 5. (*h*) Serm. 218. cap. 12. num. 12. to. 5. (*i*) Sem. 300. cap. 4. num. 4. to. 5. (*k*) Tract. 37. in Jo. num. 9. tom. 3. (*l*) Lib. de Spir. & Lit. cap. 31. num. 53. & 54. to. 10. (*m*) Lib. de Correp. & Grat. cap. 14. num. 45. tom. 10. (*n*) Serm. 218. cap. 1. num. 1. to. 5. (*o*) Tract. 8. in Jo. num. 12. to. 3. (*p*) Tract. 11. in Jo. num. 2. tom. 3. (*q*) Tract. 123. in Jo. num. 5. to. 3. (*r*) Lib. de Ver. Relig. cap. 14. num. 28. to. 1. (*ſ*) Lib. 11. de Gen. ad Lit. cap. 7. num. 9. to. 3. (*t*) Lib. 1. Oper. Imperf. num. 105. to. 10. (*u*) Serm. 199. cap. 2. num. 3. tom. 5.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

Utrum apud S. Auguſtinum vocabula hæc Impoſſibilitas, Impotentia, Coactio, Neceſſitas, *& his ſimilia, inſuperabilem in homine lapſo ſignificent ad actus ſibi liberos, ſive impotentiam, ſive neceſſitatem?*

Videtur, quod apud S. Auguſtinum vocabula hæc *Impoſſibilitas*, *Impotentia*, *Coactio*, *Neceſſitas*, & his ſimilia, inſuperabilem in homine lapſo ſignificent ad actus ſibi liberos, ſive impotentiam, ſive neceſſitatem; Siquidem

I. LIb. 1. Retract. cap. 15. num. 3. tom. 1. *Quiſquis autem ſciens peccat, ſi poteſt cogenti ad peccatum, ſine peccato reſiſtere, nec tamen facit, utique volens peccat, quoniam qui poteſt reſiſtere, non cogitur cedere: Qui vero cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, & ideo facit contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati.*

II. Lib. 22. contra Fauſt. cap. 78. to. 8. *Sive autem iniquitas, ſive juſtitia, niſi eſſet in voluntate, non eſſet in poteſtate. Porrò ſi in poteſtate non eſſet, nullum præmium, nulla pœna juſta eſſet, quod nemo non ſapit, niſi qui deſipit. Ignorantia vero, & infirmitas, ut vel neſciat homo, quid velle debeat, vel non omne quod voluerit poſſit, ex occulto pœnarum ordine venit, & illis inſcrutabilibus judiciis Dei, apud quem non eſt iniquitas.*

III. In Expoſit. Epiſt. ad Galat. num. 43. tom. 3. *Non ſicut Judæi, qui timore iſta implere cogebantur, non illo caſto permanente in ſæculum ſæculi; ſed quo timebant præſenti vitæ ſuæ; & ideo quædam opera legis implebant, quæ in ſacramentis ſunt; illa vero quæ ad bonos mores pertinent omnino non poterant; non enim implet ea, niſi caritas; quia & hominem, ſi propterea non occidit aliquis, ne & ipſe occidatur, non implet præceptum juſtitiæ; ſed ſi ideo non occidit, quia injuſtum eſt, etiamſi*

Digitized by Google

etiamſi id poſſit facere impunè, non ſolum apud homines, ſed etiam apud Deum.

IV. Lib. de Grat. & Lib. Arb. cap. 17. num. 33. to. 10. de caritate Petri: *Quamvis parva, & imperfecta non deerat, quando dicebat: Domine animam meam pro te ponam: putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat. Et quis iſtam, & ſi parvam dare cœperat caritatem, niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?*

V. Lib. 1. Retract. cap. 13. num. 5. tom. 1. *Quamvis & illa, quæ non immerito non voluntaria peccata dicuntur, quia vel a neſcientibus, vel a coactis perpetrantur, non omni modo poſſunt ſine voluntate committi.*

VI. Lib. 8. Conf. cap. 5. num. 12. tom. 1. *Lex peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur, & tenetur etiam invitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur.*

VII. Serm. 112. cap. 1. num. 1. tom. 5. *In Evangelio ad cœnam vocati ſumus; imo alii vocati, nos non vocati, ſed ducti, non ſolum ducti, ſed etiam coacti.*

VIII. Serm. 131. cap. 2. num. 2. tom. 5. *Nemo venit ad me niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Non dixit, duxerit, ſed traxerit. Iſta violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede, & venis: ama, & traheris: ne arbitreris iſtam aſperam, moleſtamque violentiam: dulcis eſt, ſuavis eſt: ipſa ſuavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum eſurienti herba monſtratur? Et puto quia non corpore impellitur, ſed deſiderio colligatur.*

IX. Lib. 1. Operis Imperf. num. 105. tom. 10. *Multum erras, qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis, illius peccati eſſe pœnam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt.*

X. Lib. 8. Confeſſ. cap. 5. num. 10. tom. 1. *Ex voluntate perverſa, facta eſt libido; & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.*

XI. In Expoſit. Epiſt. ad Galat. num. 49. to. 3. *Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.*

XII.

XII. Lib. de Perf. Juſt. contra Cæleſt. cap. 6. num. 13. to. 10. *Ideò eſſe culpam hominis, quod non eſt ſine peccato, quia ſola hominis voluntate factum eſt, ut ad iſtam neceſſitatem veniret, quam ſola hominis voluntas ſuperare non poſſit.*

VERA S. DOCTORIS SENTENTIA.

Dicendum, quod apud S. Auguſtinum vocabula hæc *Impoſſibilitas*, *Impotentia*, *Coactio*, *Neceſſitas*, & his ſimilia, non ſignificant in homine lapſo inſuperabilem ad actus ſibi liberos ſive impotentiam, ſive neceſſitatem. In qua enim uſurpatione propoſitas voces adhibeat S. Doctor, locuples atque perſpicua ſententiarum ſeries, quam intuentium oculis explicamus, ſic palam facit.

I. In Pſal. 106. num. 5. tom. 4. *Invenit ergo ſe ligatum difficultatibus cupiditatum, & non poſſe viam propter compedes ambulare, incluſum ſe ſentit difficultate vitiorum, & tanquam muro impoſſibilitatis erecto portiſque clauſis, qua evadat, ut recte vivat, non invenit... Conatur, non poteſt: ligatum ſe ſentit.... Secunda ergo tentatio eſt difficultatis in bene operando.... Exclamat & in hac ad Dominum: liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis... Incipit ei jam facile eſſe, quod difficile fuerat... Facta eſt facultas, quæ fuerat antea difficultas. Potuit hoc Dominus ſine difficultate præſtare; ſed ſi hoc ſine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnoſceremus. Si enim primitùs cum vellet poſſet, & non ſentiret adverſus ſe obnitentes cupiditates, nec vinculis ſuis gravata anima collideretur, ſuis viribus tribueret, quod ſe poſſe ſentiret, & non confiterentur Domino miſerationes ejus;*

Ergo ex S. Auguſtino impotentia ſervandi divinam legem, orta tum ex vitioſis cupiditatibus, tum ex prava peccandi conſuetudine, non eſt niſi impotentia quædam moralis, ſeu difficultas ſervandi legem divinam; ſiquidem S. Doctor agens loco allegato de hac impotentia docet, quod munere divinæ gratiæ *incipit jam facile eſſe, quod difficile fuerat; & facta eſt facul-*

cultas, quæ fuerat ante difficultas. At vero eodem loco ad ſignificandam moralem hanc impotentiam, ſeu difficultatem ſervandi divinam legem utitur S. Doctor allegoriâ hyperbolicâ ligaminum inſolubilium, compedum immobilium, carceris impenetrabilis, & muri inſuperabilis. Hæ autem elocutiones, quamvis juxta obviam & vulgarem uſurpationem ſignificent impotentiam phyſicam, & prorſus inſuperabilem, apud S. Auguſtinum loco citato non ſignificant niſi difficultatem in recto agendo, quæ non excedit limites impotentiæ merè mortalis; ac proinde apud S. Auguſtinum vocabula hæc. *Impoſſibilitas*, *Impotentia* non ſignificant in homine lapſo impotentiam ad actus ſibi liberos inſuperabilem.

II. Tract. 53. in Jo. num. 6. to. 3. de Judæis: *Non poterant credere, quia hoc Iſajas Propheta prædixit: Hoc autem propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit: quare autem non poterant, ſi a me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant. Malam quippè eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt.*

III. Tract. 53. in Jo. num. 9. & 10. to. 3. *Sic autem dictum eſt: Non poterant, ubi intelligendum eſt, quod nolebant... Sicut ergo, quod Dominus negare ſeipſum non poteſt, laus eſt voluntatis Divinæ; ita quod illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ... Hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non poſſunt, ſed quandiu talia ſapiunt, non poſſunt credere*;

Ergo ex S. Auguſtino impotentia illa ad credendum, qua impediti detinebantur Judæi, ex hac rerum ſerie, tanquam ex pluribus annulis mutuo conſertis & colligatis, connexa fluebat, videlicet: Judæorum impotentia ad credendum ex prophetico vaticinio dependebat: propheticum vaticinium de futura Judæorum incredulitate ex divina revelatione habita ad Iſajam emanabat: revelatio divina ex Dei præſcientia de incredulitate Judaica proficiſcebatur: Dei autem præſcientia objectam divinæ menti futuram voluntatem Judæorum incredulam conſequebatur; ac proinde comparando extremum veluti annulum

cum primo annulo, judaica impotentia ad credendum ex judaica voluntate fidem reſpuente oriebatur. Hæc autem impotentia, utpote conſequens liberam voluntatis humanæ determinationem, non pugnat, quinimo optime componitur ac ſociatur cum antecedenti poteſtate ad credendum; quamobrem apud S. Auguſtinum vocabula hæc *Impoſſibilitas*, *Impotentia* non ſignificant in homine laſpo inſuperabilem ad actus ſibi liberos impotentiam.

IV. Serm. 155. de Verb. Apoſtol. cap. 10. num. 10., & 11. tom. 5. *Prudentia carnis inimica in Deum; legi enim Dei non eſt ſubjecta, neque enim poteſt. Quid eſt, neque enim poteſt? Non homo non poteſt, non anima non poteſt, non denique ipſa caro, quia Dei creatura, non poteſt; ſed prudentia carnis non poteſt, vitium non poteſt, non natura. Quomodo ſi diceres claudicatio rectæ ambulationi non eſt ſubjecta, neque enim poteſt. Pes poteſt, ſed claudicatio non poteſt. Tolle claudicationem, & videbis rectam ambulationem; ſed quamdiu claudicatio eſt, non poteſt; ſic quamdiu prudentia carnis eſt, non poteſt. Non ſit prudentia carnis, & homo poteſt;*

Ergo ex S. Auguſtino impotentia ſervandi divinam legem non eſt impotentia hominis, non eſt impotentia animæ, non eſt impotentia carnis, non eſt impotentia naturæ; ſed eſt impotentia vitii voluntarii ac deliberati, ſcilicet, eſt impotentia voluntatis pravæ & vitioſæ, quæ voluntas a noſtra libera poteſtate dependet, quod ſatis inſinuat S. Doctor per verba illa ſuaſoria, & adhortatoria. *Non ſit prudentia carnis, & homo poteſt*. Hæc autem impotentia non eſt niſi impotentia conſequens, quam ipſa ſibi voluntas libera pro libito imponit, cum libera poteſtate eam impotentiam deponendi pro libito; ac proinde tantum abeſt ut impotentia hujuſmodi ſit detrimentum, ut potius argumentum ſit electivæ libertatis indifferentis; quamobrem apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *Impotentia* non ſignificat in homine lapſo inſuperabilem ad actus ſibi liberos impotentiam.

V. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 101. to. 10. *Quamvis concupiſcat ſpiritus ejus adverſus carnem, ne conſentiat iniquitati,*

Digitized by Google

ti, tamen & caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ut non faciat & ille quod vult. Vult enim & iſtam carnis concupiſcentiam non habere, ſed non poteſt nunc, propter quod adhuc in ſeipſo ingemiſcit, adoptionem expectans, redemptionem corporis ſui, ubi ſic habeat carnem, ut jam peccare non poſſit... verum etiam quia & bene reluctans concupiſcentiæ carnis, aliquando ab ea trahitur ad conſenſionem, & quamvis venialia, tamen aliqua peccata committit,

VI. Serm. 128. cap. 9. num. 11. tom. 5. *Modo autem quando caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, contentio mortis eſt, non quod volumus facimus. Quare? Quia volumus, ut nullæ ſint concupiſcentiæ, ſed non poſſumus. Velimus, nolimus; habemus illas: velimus, nolimus; titillant, blandiuntur, ſtimulant, infeſtant, ſurgere volunt: premuntur, nondum extinguntur, quandiu caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.*

VII. Lib. de Contin. cap. 11. num. 25. to. 6. *Poterant concupiſcentias carnis non perficere, ſed carne concupiſcente adverſus ſpiritum, non poterant ea facere, quæ volebant, ideſt, etiam ipſas carnis concupiſcentias non habere.*

VIII. Lib. 14. de Civ. cap. 15. num. 2. tom. 7. *Denique, ut breviter dicatur, in illius peccati pœna, quid inobedientiæ, niſi inobedientia retributa eſt? Nam quæ hominis eſt alia miſeria, niſi adverſus eum ipſum inobedientia ejus ipſius, ut quoniam noluit quod potuit, quod non poteſt velit?... Quis enim enumerat, quam multa, quæ non poteſt velit; dum ſibi ipſe, ideſt, voluntati ejus ipſe animus ejus, eoque inferior caro ejus non obtemperat? Ipſo namque invito, & animus plerumque turbatur, & caro dolet, & veteraſcit, & moritur: & quidquid aliud patimur, quod non pateremur inviti, ſi voluntati noſtræ noſtra natura omnimodo, atque ex omnibus partibus obediret;*

Ergo S. Auguſtinus diſputans pro dignitate de univerſa impotentia hominis lapſi, quæ cum ſit pœna originalis peccati, totum genus humanum pervaſit, recenſet tum impotentiam extinguendi penitùs indeliberatos concupiſcentiæ motus, tum

impotentiam extirpandi radicitùs pravas animi perturbationes; tum impotentiam prohibendæ ſenectutis, tum impotentiam vacandi a dolore, tum impotentiam propulſandæ mortis, hiſque ſimilia, quæ a voluntatis imperio minimè pendent. At e contrariò nullam S. Doctor ibi, aut alibi mentionem facit de ineluctabili impotentia in ordine ad noſtros actus nobis voluntarios atque deliberatos; concludendum eſt igitur, quod apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *Impotentia* non ſignificat in homine lapſo impotentiam ad actus ſibi liberos inſuperabilem.

IX. Lib. 2. contra Julian. cap. 8. num. 25. to. 10. de Martyre Cypriano: *Ideo nihil eorum erat, quia his malis motibus, partim de origine, partim de conſuetudine venientibus, fortiter reſiſtebat, non acquieſcens eſſe, quod eum eſſe cogebant.*

X. Lib. 1. de Peccator. Merit. & Remiſſ. cap. 13. num. 17. to. 10. *Eiſque hominibus tanta juſtitia donatur, ut cum Adam conſenſerit ad peccatum ſuadenti, non cedant iſti etiam cogenti.*

XI. Lib. 1. Oper. Imperf. num. 70. tom. 10. *Actio pia eſt in hac vita Deum colere, & ejus gratiâ contra vitia interna pugnare, eiſque ad illicita inſtigantibus, cogentibuſve non cedere.*

XII. Serm. 15. in Pſal. 118. num. 3. & 4. to. 4. *Non ſolum erant impii; verum etiam pios, impios eſſe cogebant..... A lege autem tua non declinavi, quod me facere cogebant ſuperbi.*

XIII. Serm. 30. in Pſal. 118. num. 7. tom. 4. *Non ait, eloquia, vel teſtimonia tua non negavi: quod Martyres facere cogebantur, & non facientes intolerabilia patiebantur.*

XIV. In Pſal. 145. num. 16. to. 4. *Quando Imperatores perſequebantur Chriſtianos, minando cogebant, quod tu efficis ſuadendo. Perſuades Chriſtiano, ut neget ſe eſſe Chriſtianum, quod tu ſuadendo facis, hoc perſecutor occidendo non fecit.*

Ergo ex S. Auguſtino depravatæ animi perturbationes veteri conſuetudine potiſſimùm roboratæ *cogunt* homines juſtos etiam & pios ad iniquitatem, quibus tamen ad inhoneſta *cogen-*

gentibus probi homines fortiter reſiſtunt, neque eis cedunt. Item: Infideles Imperatores ad impium Deorum cultum, propoſitis cruciatibus, Chriſtianos Martyres *cogebant*, quibus ad impietatem *cogentibus* Chriſtiani Martyres, datis cervicibus, invictiſſimè reſiſtebant; quamobrem S. Auguſtinus utitur vocabulo *coactionis* in homine lapſo admiſſæ ad ſignificandum validum quidem impulſum ex vehementi dolore, vel voluptate excitatum, ſed citra omnem irreſiſtibilem determinationem, quod ex pari reſiſtentià adhibità demonſtratur; ac proinde apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *coactio* non ſignificat in homine lapſo inſuperabilem ad actus ſibi liberos neceſſitatem.

XV. Lib. contra Secund. Manichæum cap. 19. to. 8. *Si autem cogitur conſentire, ita ut non ſit in ejus poteſtate aliter facere, non ergo, ut dicebas, voluntate peccat, quando non voluntate conſentit.*

XVI. Lib. de duab. Animab. cap. 12. num. 18. to. 8. *Si ita coguntur, ut reſiſtendi poteſtas nulla ſit, non peccant;*

Ergo ex S. Auguſtino non cogitur anima conſentire, ita ut non ſit in ejus poteſtate aliter facere: peccare animæ non coguntur, ita ut nulla eis inſit reſiſtendi poteſtas; itaque S. Auguſtinus utitur vocabulo *coactionis* ab homine lapſo excluſæ ad ſignficandam ab homine lapſo excluſam omnem determinationem ad actus ſibi liberos irreſiſtibilem; adeoque apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *coactio* non ſignificat in homine lapſo inſuperabilem ad actus ſibi liberos neceſſitatem.

XVII. In Pſal. 106. num. 5. tom. 4. *Liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis, conſtituit in operatione æquitatis. Incipit ei jam facile eſſe, quod difficile fuerat, abſtinere a malis, non adulterare, non furtum facere, non homicidium, non ſacrilegium, non alienum concupiſcere. Facta eſt facultas, quæ fuerat antè difficultas.*

XVIII. In Expoſit. Epiſt. ad Galat. num. 46. to. 3. *Cum enim caritas legem impleat; prudentia vero carnis commoda temporalia conſectando, ſpiritali caritati adverſetur, quomodo poteſt legi Dei eſſe ſubjecta, ideſt, libenter atque obſequenter imple-*

implere juſtitiam, eique non adverſari, quando etiam dum conatur, vincatur neceſſe eſt, ubi invenerit majus commodum temporale de iniquitate ſe poſſe aſſequi, quam ſi cuſtodiat æquitatem.

XIX. Lib. 5. Oper. Imperfect. num. 55. tom. 10. *Sunt & voluntaria neceſſaria, ſicut beati eſſe volumus, & neceſſe eſt ut velimus.*

XX. Tract. 43. in Jo. num. 12. to. 3. *Ut Dominus tuus neceſſitate moriturum conſolaretur, voluntate mori dignatus eſt.*

XXI. Tract. 3. in Jo. num. 12. to. 3. de Adæ poſteris: *Ut naſcerentur ex Adam, neceſſitatis fuit ex damnatione: naſci per Chriſtum voluntatis eſt, & gratiæ.*

XXII. Serm. 151. de Verb. Apoſtol. cap. 8. num. 8. tom. 5. *Nunc ergo, Fratres, tenete iſtum modum: mente ſervite legi Dei; carne autem legi peccati; ſed ex neceſſitate, quia concupiſcitis, non quia conſentitis;*

Ergo S. Auguſtinus ſententiis ſuperioribus uſurpat nomen *neceſſitatis* in homine lapſo admiſſæ, modò ad ſignificandam moralem neceſſitatem libertati minimè repugnantem, ortam tum ex prava concupiſcentia, tum ex vitioſa conſuetudine, quæ moralis neceſſitas nihil eſt aliud, quam difficultas abſtinendi a vitiis & exercendæ virtutis, modò ad ſignificandam neceſſitatem, quam *conſequentem*, *ſenſus compoſiti*, *& ex ſuppoſitione* Theologi appellant, hujuſmodi autem neceſſitas libertatem non inſequitur, ſed conſequitur, non eſt libertatis adverſaria, ſed filia, libertatem non tollit, ſed oritur ex libertate, modò ad ſignificandam neceſſitatem quidem inſuperabilem, ſed non ad actus a libertate pendentes, hujuſmodi eſt ex S. Doctore neceſſitas contrahendi peccatum originale, neceſſitas contrahendæ rebellis concupiſcentiæ, neceſſitas ſubeundi mortem, neceſſitas amandæ, deſiderandæ, procurandæ ſibi felicitatis; quamobrem apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *neceſſitas* non ſignificat in homine lapſo inſuperabilem ad actus ſibi liberos neceſſitatem.

XXIII. Tract. 8. in Jo. num. 10. tom. 3. *Non poterat eſſe ſub neceſſitate ſiderum Conditor ſiderum. Adde, quia non ſolum*

lum Chriſtus non habuit quod appellas fatum, ſed nec tu, aut ego, aut ille, aut quiſquam hominum.

XXIV. Lib. contra Fortun. diſp. 2. num. 21. to. 8. *Cum ergo noveris neceſſitatem, qua hìc oppreſſus ſum, qua reſpirare non potui, cui reſiſtere non potui, quid me accuſas quaſi peccantem?*

XXV. Lib. 5. contra Julian. cap. 9. num. 37. to. 10. *Nec ad ſtupra coguntur neceſſitate, qui caſti ſunt: quia reſiſtunt inboneſtæ libidini, ne compellat eos inboneſta committere.*

XXVI. Lib. 5. contra Julian. cap. 15. num. 56. tom. 10. *Quamvis ergo aliam legem videamus in membris noſtris, repugnantem legi mentis noſtræ, non ſolùm tamen neceſſitatem criminis non habet, ſed habet potius honorem laudis, cujus ſpiritus ſpiritali munere adjutus, adverſus carnis concupiſcentiam concupiſcit;*

Ergo S. Auguſtinus adhibet nomen *neceſſitatis* ab homine lapſo excluſæ ad ſignificandam excluſam ab homine lapſo, tum fatalem omnem neceſſitatem, cui obſiſtere voluntas non poſſit, tum aliam quamcunque neceſſitatem, cui noſtra voluntas impar ſit reſiſtendo; adeoque apud S. Auguſtinum vocabulum hoc *neceſſitas* non ſignificat in homine lapſo inſuperabilem ad actus ſibi liberos neceſſitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod ex S. Auguſtino, qui cogenti cupiditati ad turpes motus indeliberatos, bona voluntate reſiſtere non poteſt, quo minus pravos hujuſmodi motus concupiſcentiæ patiatur, & ideo deficiente ratione voluntarii ac deliberati, materialiter tantùm facit contra præcepta juſtitiæ, jam hoc ita materiale peccatum eſt, propter diſcrepantiam a rectà ratione a Deo conditore optimè conſtitutà, ut ſit etiam pœna originalis peccati. Frequentiſſimè autem S. Doctor rebellem concupiſcentiam *peccatum* cum Apoſtolo appellat. Sic ſuperiori num. 2. ex cap. 15. Lib. 1. Retract. in objectione allegato: *Poteſt*, iniquit, *putari falſa eſſe iſta ſententia, qua dixìmus, nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum: quia dixit Apoſtolus, ſi autem quod nolo, hoc facio, jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Hoc enim peccatum*

catum uſque adeo non eſt in voluntate, ut dicat, quod nolo, hoc facio. Quomodo ergo nuſquam eſt, niſi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum de quo ſic eſt locutus Apoſtolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt; quandoquidem hoc de Concupiſcentia carnis dicitur. Quamobrem apud S. Auguſtinum verba hæc *cogens cupiditas* inſuperabilem quidem in homine lapſo neceſſitatem ſignificant, non tamen ad actus ſibi liberos, ſed ad involuntarios atque indeliberatos ſibi rebellis concupiſcentiæ motus, ſub dominio ac poteſtate hominis lapſi minimè conſtitutos, in cujus dominio ac poteſtate conſenſus, atque diſſenſus indeliberatis concupiſcentiæ motibus eſt conſtitutus.

Ad ſecundum dicendum, quod ex S. Auguſtino ex occulto pœnarum ordine venit, & illis inſcrutabilibus judiciis Dei, apud quem non eſt iniquitas, ut propter pœnalem ignorantiam, neſciat homo quod velle debeat, & propter pœnalem infirmitatem, non omne quod voluerit poſſit. Quæ autem ſint, quæ cum voluerit homo lapſus non poteſt, præter antecedentia, etiam ſubſequentia verba S. Doctoris ita declarant: *Proditum eſt enim nobis peccatum Adam... & quia in illo omnes moriuntur, & quia per illum, peccatum intravit in hunc mundum, & per peccatum mors, & quia ex hac pœna corpus corrumpitur & aggravat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem*. Recenſet hic S. Doctor ea, quæ homo lapſus, in pœnam originalis peccati vult, & non poteſt. Hæc autem ſunt hujuſmodi: vult liber eſſe & immunis a neceſſitate originalis peccati, a neceſſitate vitioſæ ignorantiæ, a neceſſitate rebellis concupiſcentiæ, a neceſſitate mortis, a neceſſitate ſenectutis, a neceſſitate laboris, a neceſſitate doloris. Hæc omnia vult, & non poteſt. At inter ea, quæ homo lapſus conſequi vult, & non poteſt, neque hic, neque alibi S. Doctor recenſet libertatem, ſeu immunitatem ab inſuperabili ſive neceſſitate, ſive impotentia ad actus ſibi liberos & deliberatos. Siquidem, poſt Adæ peccatum, libertatem hujuſmodi non extinctam, ſed ſalvam atque ſuperſtitem in homine lapſo perſeverare plurimis locis locupletiſſimè docet Auguſtinus.

Digitized by Google

Ad tertium dicendum, quod ex S. Auguſtino præcepta legis, quæ ad bonos mores pertinent, veteris teſtamenti Judæi implere non poterant, obedientiâ, quæ Deo eſſet grata & accepta. Siquidem plerique veterum Judæorum exteriorem dumtaxat divinis præceptis exhibebant obedientiam, ex humano timore ſubeundi capitales pœnas, quæ adverſus tranſgreſſores fuerant conſtitutæ, cum voluntate prava frangendæ legis conjuncto, quoties id fieri poſſet impunè, quod exemplo ſatis perſpicuo ibi explicat S. Doctor, videlicet: *Quia & hominem ſi propterea non occidit aliquis, ne & ipſe occidatur, non implet præceptum juſtitiæ; ſed ſi ideo non occidit, quia injuſtum eſt, etiamſi id facere poſſit impunè, non ſolam apud homines, ſed etiam apud Deum*. Quamobrem hæc impotentia adimplendi præcepta, prout oportet, non eſt niſi impotentia conſequens, & in ſenſu compoſito pravæ illius peccandi voluntatis atque libidinis; adeoque impotentia eſt pro libito ſuperabilis & ſuperanda.

Ad quartum dicendum, quod ex S. Auguſtino Petro ſic ad Chriſtum Dominum verba facienti, *Animam meam pro te ponam*, munere prævenientis gratiæ inerat quidem aliqua caritas, ſed parva, & imperfecta: videlicet, beneficio prævenientis gratiæ, Petro hæc ſpondenti inerat bona quædam, pia, & ſancta voluntas mortem ſubeundi pro Chriſto; ſed voluntas parva, invalida, imperfecta: uno verbo, pia velleitas. De pia enim voluntate ibi loquitur Auguſtinus, non autem de gratia ulla præveniente & indeliberata; & hanc piam voluntatem more ſuo *Caritatem* appellat. Siquidem hujuſmodi ſunt præcedentia verba loci allegati. *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam; poterit autem cum magnam habuerit, & robuſtam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc eſt, magna caritate fecerunt*. Deinde de caritate parva Petri, hoc eſt, de pia velleitate Petri ſic proſequitur S. Doctor: *Et quis iſtam etſi parvam dare cæperat caritatem, niſi ille qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* Jam vero:

Digitized by Google

ro: ex S. Auguſtino mortem pro Chriſto oppetere tunc Petrus non poterat, impotentiâ conſequente debilem illam velleitatem, & in ſenſu compoſito debilis illius velleitatis; nullo tamen tunc, & in eis circumſtantiis, urgente Petrum præcepto animam ponendi pro Chriſto.

Ad quintum dicendum, quod S. Auguſtinus Lib. 1. Retract. cap. 13. num. 5. tom. 1. recenſens atque ad trutinam revocans, quod dixerat cap. 14. de vera Religione, videlicet, *Uſque adeo peccatum voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*, hanc ſuam ſententiam approbat, atque confirmat, definiens omne peccatum in aliquo vero ſenſu voluntarium eſſe, & iniquit, *Poteſt videri falſa hæc definitio; ſed ſi diligenter diſcutiatur, invenietur eſſe veriſſima*. Deinde percurrens ſingula peccatorum genera, ſtatuit I. Peccatum perſonale ab unoquoque deliberatè commiſſum proculdubio voluntarium eſſe, per hæc verba: *Peccatum quippe illud cogitandum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati*. Statuit II. Peccatum commiſſum ſub ignorantia invincibili poſſe voluntarium dici, *quoniam & ille, qui peccat ignorans, voluntate utique facit, quod cum faciendum non ſit, putát eſſe faciendum*. Hoc autem peccatum cap. 15. num. 3. voluntarium appellat, *ſed voluntate facti, non voluntate peccati*, quia commiſſum eſt abſque advertentia malitiæ, & hinc peccatum eſt dumtaxat materiale, ad reatum hominis minimè imputabile. Statuit III. Rebellem concupiſcentiam voluntariam nobis non eſſe, neque peccatum dici niſi per Synedochen, & impropriè, eo quod peccato facta eſt, & eſt pœna peccati, de qua ſequenti cap. 15. num. 2. *Ideo*, inquit, *peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt; quandoquidem hoc de concupiſcentia carnis dicitur*. Statuit IV. Liberum concupiſcentiæ conſenſum proculdubio voluntarium eſſe peccatum. *Et ille*, inquit, *qui concupiſcente adverſus ſpiritum carne, non ea, quæ vult facit, concupiſcit quidem nolens, & in eo non facit, quod vult; ſed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, & in eo non facit, niſi quod vult*. Statuit V. Peccatum originale non abſurdè volunta-

luntarium vocari, *quia ex prima hominis mala voluntate contractum, factum eſt quodammodo hereditarium*. Conſentiens autem concupiſcentiæ dici poteſt cum Auguſtino *coactus*, ideſt, validè & vehementer impulſus, ſed citra omnem inſuperabilem determinationem.

Ad ſextum dicendum, quod S. Auguſtinus refert ibi, atque expendit vim pravæ conſuetudinis a ſe contractæ, & diuturnâ peccandi licentiâ confirmatæ, cum de frugaliori vitâ inſtituendâ deliberaret, eamque conſuetudinem ſomno comparat occupanti hominem vigiliam ſopori præferentem, expergiſci, ſurgere, & ſomnum excutere a ſe volentem, ſed languidè, oſcitanter, inefficaciter. Verba S. Doctoris ſunt, quæ ſequuntur. *Cogitationes, quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur. Et ſicut nemo eſt, qui dormire ſemper velit, omniumque ſano judicio vigilare præſtat; differt tamen plerumque homo ſomnum excutere, cum gravis torpor in membris eſt, eumque jam diſplicentem carpit libentius, quamvis ſurgendi tempus advenerit. Ita certum habebam eſſe melius tuæ caritati me dedere, quàm meæ cupiditati cedere. Sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vinciebat... Non erat omnino quod reſponderem veritate convictus, niſi tantum verba lenta, & ſomnolenta: Modò; ecce modo: ſine paululum. Sed modo, & modo, non habebant modum: & ſine paululum, in longum ibat*. Tandem hâc ſententiâ totam narrationem ſic S. Doctor concludit. *Lex peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur, & tenetur etiam invitus animus, eo merito, quo in eam volens illabitur*. Objectæ igitur Auguſtinianæ ſententiæ interpretatio eſt hujuſmodi. Prava peccandi conſuetudo eſt ſumma quædam difficultas reſipiſcendi, etiam reſpectu hominis emergere volentis, qua trahitur & tenetur validiſſimè quidem, ſed viribus moralis dumtaxat neceſſitatis & impotentiæ, etiam invitus animus: & ſane invitus quoad turpitudinem peccati, quam ſolummodò inefficaciter odit, ſed non invitus quoad delectationem peccati, quam ceteroquin efficaciter amat.

Ad ſeptimum dicendum, quod ex S. Auguſtino in Evangelio ad cœnam, ideſt, ad Chriſti Domini Eccleſiam, vocati ſumus; imo alii vocati, videlicet, Judæi pertinaces primò per Prophetas, deinde per Apoſtolos vocati, ſed non ſecuti; nos autem non ſolum vocati, ſed adjunctis mediis efficaciſſimis ducti, non ſolum ducti, ſed incuſſo ſuppliciorum terrore coacti: quod factum fuit cum Donatiſtis ab Eccleſia profugis, quos præcipue in hoc ſermone reſpiciebat Auguſtinus, qui ſeveriſſimis legibus, ut ſeſe ad Eccleſiam referrent, a Chriſtianis Imperatoribus fuerunt coacti. Sic enim S. Doctor, habens præ oculis Donatiſtas, inſtitutum ſermonem concludit. *Venerunt de plateis, & vicis Gentes: veniant de ſepibus hæretici... Trahantur a ſepibus, evellantur ab ſpinis. In ſepibus hæſerunt, cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, noſtra intremus. Non hoc Dominus imperavit: coge, inquit, intrare. Foris inveniatur neceſſitas, naſcitur intus voluntas.*

Ad octavum dicendum, quod ex S. Auguſtino violentia illa, quæ cordi fit, & non carni, & qua Deus Pater fide, & amore attrahit ad Filium homines, tota ſita eſt in ſuavioribus animi affectibus, quos Miſericors Pater in humanis cordibus excitat. Hujuſmodi affectus ſunt ſuperni amores, deſideria ſuperna, voluptates ſupernæ. Hi autem ſuperni affectus gratiæ actuales ſunt, quæ ad voluntatem pertinent, primo-prævenientes, indeliberatæ, & quatenùs hominibus congruunt, in quibus gratioſè excitantur, ſunt illis gratiæ efficaces. His mediis libertati hominum conſentaneis, in humanæ ſalutis procuratione, utitur Deus, quibus ſupra hominum voluntates dominium exercet Omnipotentiſſimum ſimul & Suaviſſimum. Hujuſmodi autem affectus ad Dei Filium homines attrahentes comparat S. Doctor belluinis affectibus, belluas ad pabulum propellentibus, non quoad determinationem inſuperabilem belluis conſentaneam, homini libero repugnantem; ſed quoad impulſus ſuavitatem. Siquidem teſte Auguſtino Lib. 2. de Peccator. Merit. & Remiſ. cap. 5. num. 6. to. 10. *Noc ſicut in eis*, ideſt in belluis, *in quorum natura rationem, voluntatemque non condidit, ſalutem noſtram Deus operatur in nobis.*

Ad

Ad nonum dicendum, quod ex S. Auguſtino adverſus Pelagianum Julianum diſputante, duo ſunt in hominibus lapſis peccatorum genera. Primi generis. *Peccata tantummodo*. Secundi generis. *Peccata ſimul & peccatorum pœnæ*. Peccata tantummodo ex S. Doctore ea ſunt, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate; & hac de cauſa ab eis liberum nobis eſt abſtinere. Hujuſmodi ſunt peccata omnia voluntaria ac deliberata, & hæc nulli ſubſtant inſuperabili neceſſitati. Peccata ſimul & peccatorum pœnæ ex S. Doctore ea ſunt, quæ committuntur neceſſitate, non voluntate; & hac de cauſa ab eis liberum nobis non eſt abſtinere. Hujuſmodi ſunt peccata omnia involuntaria & indeliberata, quæ *materialia* dicuntur, & inſuperabili ſubſtant neceſsitati, utpote quæ ex S. Doctore veniunt vel de neceſsitate ignorantiæ prorſus invincibilis, vel de neceſſitate pravarum affectionum, quæ *Primo-primæ* appellantur, & omnem prorſus præoccupant advertentiam malitiæ, cui nullum locum relinquunt. Quod ſi peccata ſimul, & peccatorum pœnæ ea dicantur, quæ veniunt vel de neceſſitate ignorantiæ vincibilis, vel de neceſſitate pravarum affectionum, quæ non ſint *Primo-primæ*, neque ſufficientem præoccupent advertentiam malitiæ, ſed huic advertentiæ ſufficientem locum relinquant, tunc peccata hujuſmodi committuntur neceſſitate morali & ſuperabili, committuntur voluntate libera ab omni phyſica & inſuperabili neceſſitate, liberum nobis eſt, ſi non moraliter, phyſicè tamen ab eis abſtinere, peccata hujuſmodi ſunt abſolutè & ſimpliciter voluntaria ac deliberata. Audiatur jam S. Doctor loco allegato. *Cum igitur & illa fateamur in hominibus eſſe peccata, quæ committuntur non neceſſitate, ſed voluntate, quæ tantummodo peccata ſunt, unde ab eis liberum eſt abſtinere; & peccatis de ignorantiæ, vel affectionum neceſſitate venientibus, quæ jam non ſolum peccata, verum etiam pœnæ ſunt peccatorum, plenum ſit genus humanum, quomodo dicis definitionibus noſtris peccatum nec in moribus inveniri?*

Ad decimum dicendum, quod S. Auguſtinus loco allegato deplorat miſeram vitioſæ vitæ ſuæ præteritæ ſervitutem, & ſervilem catenam, quam ex quibuſdam veluti anſulis mutuò con-

connexis ipſe ſibi conflaverat. Anſulæ autem catenæ ſuæ, quas ibi commemorat S. D., ſunt hujuſmodi: *voluntas perverſa*, *libido*, *conſuetudo*, *neceſſitas*, quarum unaquæque poſterior ex anteriori conſequebatur. Neceſsitas autem, extrema catenæ anſula, conſequens diuturnam peccandi conſuetudinem, duplex erat virtute ſua: videlicet, neceſsitas phyſica ſubjacendi pravis concupiſcentiæ motibus involuntariis atque indeliberatis: & neceſsitas moralis, & quidem ſumma, erumpendi in actus pravos voluntarios atque deliberatos, cui ſine maxima animi contentione, labore, conatu, & difficultate ſummâ reſiſtere ſanè non poterat. Hæc omnia conſtant ex poſterioribus verbis loci allegati ex S. Doctore excerptis. Sunt autem hujuſmodi: *Quibus quaſi anſulis ſibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obſtrictum dura ſervitus. Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat ut gratis te colerem, fruique te vellem, Deus ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ: una vetus, alia nova: illa carnalis, illa ſpiritalis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam. Sic intelligebam in meipſo experimento, id quod legeram, quomodo caro concupiſceret adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Ego quidem in utroque; ſed magis ego in eo quod in me approbabam, quam in eo quod in me improbabam. Ibi enim magis jam non ego; quia ex magna parte id patiebar invitus, quam faciebam volens. Sed tamen conſuetudo adverſus me pugnatior ex me facta erat, quoniam volens quò nollem perveneram.*

Ad undecimum dicendum, quod S. Auguſtinus loco allegato diſputat de malis operibus carnis, & bonis operibus ſpiritûs, quæ Paulus Apoſtolus enumerat in ſua Epiſtola ad Galatas. In hujus autem loci explicatione, eos opera carnis agere docet Auguſtinus, in quibus regnat peccatum; in iis autem peccatum regnare affirmat, qui vitioſis conſentiunt cupiditatibus. E contrariò illos aſſerit opera ſpiritûs operari, in quibus peccata non regnant, ſed bona regnant ſpiritalia. *Regnant autem iſta bona*, inquit S. Doctor, *ſi tantùm delectant, ut ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati conſenſionem*

nem ruat, videlicet, ſi bona hæc nos delectant delectatione voluntariâ, deliberatâ, & efficaci, ut contigit in hominibus juſtis, quorum, ut ibi affirmat S. Doctor, *major, & præpollentior delectatio juſtitia eſt*. Poſtremo concludit: *Quod enim amplius nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt*, videlicet. Ad præſentiam duplicis delectationis circa duplex contrarium delectabile, quarum altera ſit voluntaria, deliberata, & efficax; altera vero involuntaria, indeliberata, & inefficax, neceſſe eſt, neceſſitate utique conſequenti, ut quæ ex prima procedunt opera externa ſint conſentanea, congruentia, atque ſimilia delectationi voluntariæ, deliberatæ, & efficaci. Exemplum apprimè idoneum ſtatim adjungit S. Doctor his verbis. *Occurrit forma ſpecioſæ fœminæ, & movet ad delectationem fornicationis. Sed ſi plus delectat pulchritudo illa, & ſincera ſpecies caſtitatis, per gratiam quæ eſt in fide Chriſti, ſecundùm hanc vivimus, & ſecundùm hanc operamur*. Quamobrem S. Auguſtinus loquitur hìc de delectatione efficaci, quæ media eſt inter gratiam prævenientem quam conſequitur, & opera externa quæ præcedit, quæ eſt effectus prævenientis gratiæ, & cauſa conſequentium operum; ſed delectatio hujuſmodi non eſt niſi delectatio voluntaria, deliberata, & efficax; quare delectatio illa, de qua Auguſtinus in objectâ ſententiâ, non eſt niſi delectatio voluntaria, deliberata, & efficax, libertatis non ſolum amica, ſed filia.

Ad duodecimum dicendum, quod S. Auguſtinus libro *de perfectione juſtitiæ hominis* diſputat contra Cæleſtium Pelagianum glorioſè jactantem poſſe hominem ſolius naturæ viribus, atque ſolius arbitrii liberi virtute fretum ab omni prorſus peccato, quamvis minimo atque leviſſimo vacare; tantamque juſtitiæ ac ſanctitatis perfectionem conſequi, quantâ potiuntur Angeli Sancti, & quantâ fuit ornatus Adam in ſtatu innocentiæ. Hæc autem ſubdolus Pelagianus intortulis quibuſdam, atque argutulis interrogatiunculis obtinere nitebatur. Ex pluribus has ſub num. 13. ſic intorquet. *Si non poteſt homo ſine peccato eſſe, cujus culpa eſt, ipſiuſne hominis, an cujuslibet alterius? Si ipſius hominis, quomodo culpa hominis eſt, ſi hoc*

non

non eſt, quod eſſe non poteſt? Ad hæc ita Auguſtinus. *Reſpondemus, ideo eſſe culpam hominis, quod non eſt ſine peccato, quia ſola hominis voluntate factum eſt, ut ad iſtam neceſſitatem veniret, quam ſola hominis voluntas ſuperare non poteſt*: videlicet. Non vi alterius naturæ mali, qualem Manichæi fingebant, & quam Cæleſtius tacitè exprobrabat Catholicis, nec vi alterius cujuſcumque cauſæ, ſed ſolâ primi hominis Adam voluntate factum eſt, ut homo lapſus ad iſtam peccati neceſſitatem veniret, cujuſmodi eſt rebellis concupiſcentia, naturalis neceſſitas peccati indeliberati, in pravis vitiatæ naturæ motibus; & ſimul moralis neceſſitas peccati deliberati, in pravis vitioſæ voluntatis aſſenſibus, quam neceſſitatem ſive concupiſcentiam, ſola voluntas hominis, abſque auxilio divinæ gratiæ, ſuperare non poteſt. Et hac de cauſa ex S. Doctore culpa eſt hominis, quod ſine peccato aliquo non eſt homo.

CONNEXA SENTENTIARUM SERIES.

(a) *Invenit quis ſe ligatum difficultatibus cupiditatum, & non poſſe viam propter compedes ambulare, incluſum ſe ſentit difficultate vitiorum, & tanquam muro impoſſibilitatis erecto, portiſque clauſis, quò evadat, ut recte vivat, non invenit. Conatur, non poteſt, ligatum ſe ſentit. Exclamat ad Dominum: liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis. Incipit jam facile eſſe, quod difficile fuerat. Facta eſt facultas, quæ fuerat ante difficultas.* (b) *Judæi autem non poterant credere, quia hoc Iſajas Propheta prædixerat. Hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum eſſe præſcivit. Quare autem non poterant, ſi a me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abſcondi futura non poſſunt.* (c) *Sic ergo dictum eſt: Non poterant, ubi intelligendum eſt, quod nolebant. Sicut ergo, quod Dominus negare ſeipſum non poteſt, laus eſt voluntatis Divinæ, ita quod illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ. Hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius*
homi-

Digitized by Google

homines, non poſſunt, ſed quandiù talia ſapiunt, non poſſunt credere. (d) *Sicuti dicitur prudentia carnis inimica eſt in Deum; legi enim Dei non eſt ſubjecta, neque enim poteſt. Quid eſt, neque enim poteſt? Non homo non poteſt, non anima non poteſt, non denique ipſa caro, quia Dei creatura eſt, non poteſt. Vitium non poteſt, non natura. Quomodo ſi diceres:* Claudicatio *rectæ ambulationi non eſt ſubjecta, neque enim poteſt: pes poteſt, ſed claudicatio non poteſt. Tolle claudicationem, & videbis rectam ambulationem, ſed quandiu claudicatio eſt non poteſt: Sic quandiu prudentia carnis eſt, non poteſt: non ſit prudentia carnis, & homo poteſt.* (e) *Sed quamvis concupiſcat ſpiritus adverſus carnem, ne conſentiat iniquitati, tamen & caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ut non faciat & ille, quod vult. Vult enim & iſtam carnis concupiſcentiam non habere; ſed non poteſt nunc: propter quod ad huc in ſe ipſo ingemiſcit, adoptionem expectans, redemptionem corporis ſui, ut ſic habeat carnem, ut jam peccare non poſſit; verum etiam quia & bene reluctans concupiſcentiæ carnis, aliquando ab ea trahitur ad conſenſionem, & quamvis venialia, tamen aliqua peccata committit.* (f) *Modo enim, quando caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, contentio mortis eſt, non quod volumus, facimus. Quare? Quia volumus, ut nullæ ſint concupiſcentiæ, ſed non poſſumus. Velimus, nolimus: habemus illas. Velimus, nolimus: titillant, blandiuntur, ſtimulant, infeſtant, ſurgere volunt: premuntur, nondum extinguuntur, quamdiu caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* (g) *Poſſumus quidem concupiſcentias carnis non perficere, ſed carne concupiſcente adverſus ſpiritum, non poſſumus ea facere, quæ volumus, ideſt, etiam ipſas carnis concupiſcentias non habere.* (h) *Sic in primi peccati pœnam, inobedientiæ inobedientia retributa eſt. Nam quæ hominis eſt alia miſeria, niſi, adverſus eum ipſum, inobedientia ejus ipſius; ut quoniam noluit quod potuit, quod non poteſt velit? Quis enim enumerat quam multa, quæ non poteſt, velit: dum ſibi ipſe, ideſt, voluntati ejus, ipſe animus ejus, eoque inferior caro ejus non obtemperat? Ipſo nam-*

namque invito, & animus plerunque turbatur, & caro dolet, & veteraſcit, & moritur, & quidquid aliud patimur, quod non pateremur inviti, ſi voluntati noſtræ noſtra natura omnimodo atque omnibus partibus obediret. (i) *Hinc actio pia eſt in hac vita Deum colere, & ejus gratia contra vitia interna pugnare, eiſque ad illicita inſtigantibus, cogentibuſve non cedere.* (k) *Contra quæ pugnabat martyr Cyprianus, quia his malis motibus partim de origine, partim de conſuetudine venientibus fortiter reſiſtebat, non acquieſcens eſſe, quod eum eſſe cogebant.* (l) *His enim hominibus tanta juſtitia donatur, ut cum Adam conſenſerit ad peccatum ſuadenti, non cedant iſti etiam cogenti.* (m) *Sicuti quando Imperatores perſequebantur Chriſtianos, minando cogebant, ut negarent ſe eſſe Chriſtianos, quod tamen perſecutor occidendo non fecit.* (n) *Hoc certe Martyres facere cogebantur, & non facientes, intolerabilia patiebantur.* (o) *Quare non ſolum erant impii, verum etiam pios impios eſſe cogebant. Sed a lege tua non declinavi, quod me facere cogebant ſuperbi.* (p) *Non enim ſic cogitur anima conſentire, ut non ſit in ejus poteſtate aliter facere. Nam ſi ita eſt, non voluntate peccat, quando non voluntate conſentit.* (q) *Nam ſi ita coguntur animæ, ut reſiſtendi poteſtas nulla ſit, non peccant.* (r) *Sed liberat Dominus de neceſſitatibus, rumpit vincula difficultatis, conſtituit in operatione æquitatis. Incipit jam facile eſſe, quod difficile fuerat: abſtinere a malis, non adulterare, non furtum facere, non homicidium, non ſacrilegium, non alienum concupiſcere.* (ſ) *Quemadmodum præſcribit caritas, quæ legem implet, cui prudentia carnis, commoda temporalia conſectando, adverſatur: unde non poteſt legi Dei eſſe ſubjecta, ideſt, libenter atque obſequenter implere juſtitiam, eique non adverſari; quando etiam dum conatur, vincatur neceſſe eſt, ubi invenerit majus commodum temporale de iniquitate ſe poſſe aſſequi, quàm ſi cuſtodiat æquitatem.* (t) *Hæc omnia ex concupiſcentia proveniunt. Quare,* Fratres, *tenete iſtum modum. Mente ſervite legi Dei, carne legi peccati: ſed ex neceſſitate, quia concupiſcitis, non quia conſentitis.* (u) *Nam ex neceſſitate naſcimur filii iræ. Ut enim homines*

mines naſcerentur ex Adam, neceſſitatis fuit ex damnatione; naſci per Chriſtum, voluntatis eſt, & gratiæ. (x) *Similiter, morimur ex neceſſitate. Hinc, ut Dominus neceſſitate moriturum conſolaretur, voluntate mori dignatus eſt.* (y) *Hæc autem ita ſunt neceſſaria, ut non ſint voluntaria, ſed ſunt etiam voluntaria, neceſſaria; ſicut beati eſſe volumus, & neceſſe eſt ut velimus.* (z) *At ea quæ ſunt libera, neceſſaria eſſe non poſſunt. Hinc non poterat eſſe ſub neceſſitate ſiderum Conditor ſiderum. Adde quia non ſolum Chriſtus non habuit, quod appellas fatum, ſed nec tu, aut ego, aut ille, aut quiſquam hominum.* (Aa) *Si enim noveris neceſſitatem, qua hìc oppreſſus ſum, qua reſpirare non potui, cui reſiſtere non potui, quid me accuſas quaſi peccantem?* (Bb) *Non enim ad ſtupra e. g. neceſſitate coguntur, qui caſti ſunt; quia reſiſtunt inboneſtæ libidini, ne compellat eos inboneſta committere.* (Cc) *Quamvis enim aliam legem videamus in membris noſtris, repugnantem legi mentis noſtræ, non ſolum tamen neceſſitatem criminis non habet homo, ſed potius honorem laudis, cujus ſpiritus ſpiritali munere adjutus, adverſus carnis concupiſcentiam concupiſcit.* Hactenus ex S. Auguſtino.

(*a*) In Pſal. 106. num. 5. to. 4. (*b*) Tract. 53. in Jo. num. 6. to. 3. (*c*) Tract. 53. in Jo. num. 9. & 10. tom. 3. (*d*) Serm. 155. de verb. Apoſt. cap. 10. num. 10. & 11. tom. 5. (*e*) Lib. 1. Oper. Imperf. num. 101. tom. 10. (*f*) Serm. 128. cap. 9. num. 11. tom. 5. (*g*) Lib. de Contin. cap. 11. num. 25. to. 6. (*h*) Lib. 14. de Civ. cap. 15. num. 2. tom. 7. (*i*) Lib. 1. Oper. Imperf. num. 70. tom. 10. (*k*) Lib. 2. contra Julian. cap. 8. num. 25. tom. 10. (*l*) Lib. 1. de Peccat. Mer. & Rem. cap. 13. num. 17. tom. 10. (*m*) In Pſalm. 145. num. 16. to. 4. (*n*) Serm. 30. in Pſal. 118. num. 7. to. 4. (*o*) Serm. 15. in Pſal. 118. num. 3. & 4. tom. 4. (*p*) Lib. contra Secundin. Manich. cap. 19. to. 8. (*q*) Lib. de duab. Animab. cap. 12. num. 18. tom. 8. (*r*) In Pſal. 106. num. 5. to. 4. (*ſ*) In Expoſ. Epiſt. ad Galat. num. 46. tom. 3. (*t*) de verb. Apoſtol. Serm. 151. cap. 8. num. 8. to. 5. (*u*) Tract. 3. in Jo. num. 12. to. 3. (*x*) Tract. 43. in Jo. num. 12. to. 3. (*y*) Lib. 5. Oper. Imperf. num. 55. tom. 10. (*z*) Tract. 8. in Jo. num. 10. tom. 3. (*Aa*) Lib. contra Fortunat. diſp. 2. num.

Digitized by Google

num. 21. tom. 8. (*Bb*) Lib. 5. contra Julian. cap. 9. num. 37. tom. 10. (*Cc*) Lib. 5. contra Julian. cap. 15. num. 56. tom. 10.

FINIS.

Pag.	Lin.	Errata Loca	Corrige
14.	ult.	n. 31.	n. 29
24.	19.	L. 5.	L. 6.
49.	35.	n. 5.	n. 50.
61.	6.	n. 3.	n. 30.
77.	23.	....	& de præd. SS. c. 7. n. 12. to. 10.
84.	5. & 20.	n. 2. & to. 5.	n. 20. & to. 3.
102.	14.	cap. 4.	cap. 14.
116.	26.	Lib. 1.	Lib. 2.
140.	5. & 17.	num. 71. & num. 72.	num. 61. & num. 82.
144.	32.	num. 6.	num. 60.
146.	23.	num. 19.	num. 29.
150.	10.	pag. 106.	pag. 1064.
173.	8.	num. 19.	num. 18.
177.	15.	num. 5.	num. 50.
189.	5.	num. 2.	cap. 10. num. 2.
191.	21. & 26.	Tract. 3. & num. 47.	Tract. 111. & num. 27.
192.	13.	num. 5.	num. 45.
193.	18.	num. 43.	num. 47.
194.	2.	num. 55.	num. 53.
209.	16.	Lib. de Civ. Dei	Lib. 1. de Civ. Dei
219.	20.	Lib. 6. Oper. Imper. n. 10.	Lib. 5. Oper. Imper. num. 51.
221.	31.	num. 69.	num. 69. & 110.
222.	22.	num. 141.	num. 114.
226.	8.	num. 69.	num. 110.
227.	34.	quæſt. 60.	quæſt. 70.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005645940

Digitized by Google